



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quellen zur Geschichte des Augustinerchorherrenstifts Frenswegen

Löffler, Klemens

Soest, 1930

IV. Visitationsprotokolle

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67957)

IV.
Visitationsprotokolle.

IV
Visitationsprotokolle

1508.

In nomine Domini amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo quingentesimo octavo nos fratres Seyno¹⁾, beatae Mariae semper virginis in Bethlehem Zvollensis, et Gherardus, sanctae Agnetis virginis ac martyris in monte prope Zwolle monasteriorum ordinis canonicorum regularium s. Augustini Traiectensis diocesis, domum in nemore gloriosae semper virginis Mariae prope Northorn eiusdem ordinis, Monasteriensis diocesis auctoritate capituli nostri generalis de Wyndesem visitantes invenimus congregationem laudabilem in Christo Jhesu nobis bene complacentem. Auditis tamen de fratribus nonnullis conscripsimus hanc chartam.

In primis ergo venerabilem patrem priorem, virum quidem pium et religiosum, exhortati sumus, ut strenuitatis armis indutus vigilanter et confidenter gregem sibi commissum per veritatis viam ac lucis aeternae perducatur, aberrantem tota mentis et corporis virtute reducere aut satagat aut sine cordis murmure et vulnere non dissimulet, quia tanto quisque iustior iudicandus, quanto purius perfectiusque malum oderit, quod profecto rectorem decet, ut zelo iustitiae tamquam cocco bis tincto duplici caritatis colore rutilet et calore ardeat amoris Dei et proximi, nedum ipse donis innocentiae ac gratuitarum virtutum in se contentus sit, sed et diligat et quaerat Dei beneplacitum semper impleri eiusque cultum ampliari, honorem promovēri, ab omnibus serviri et honorari. Amor enim proximi non tantum eius desiderat corporalem sanitatem temporalemque prosperitatem, sed magis aeternam eius felicitatem ac beatitudinem. Ab hac autem cura nullus eius subditorum eximitur, quare nisi adduxerit ipse fratrem suum minimum, non videbit faciem veri Joseph. Ut autem indulgentiam et hanc gratiam consequi mereatur, iniunximus eidem tres missas de spiritu sancto, de domina et pro peccatis.

¹⁾ Seyno von Ittersum war von 1504 bis zu seinem Tode 1537 Prior von Bethlehem (B. J. van Hattum, *Geschiedenissen der Stadt Zwolle*, D. 4, Zwolle 1773, S. 183).

Porro de fratribus generaliter audivimus, quod quidam suorum praedecessorum intimi fervoris ac indefessae probatae conversationis negligentiores ad laxiora declinent, rigorem silentii, cellae custodiam, dierum festorum sanctimoniam, operis communis sedulitatem parvipendentes, et, quod inter christianos est damnabilius, caritatis fraternae vinculum nonnunquam diuturnius resolvant atque tempora diesque salutis verbis vanis, occupationibus supervacuis male consumant et in aliis observantiis quibusdam incurii inveniantur. Pro his ergo eos pie admonentes exhortati sumus, ut tamquam sapientes res quasque ponderent, prout sunt, ne trabem festucam aestiment, *liquando culicem camelum deglutiant*¹⁾, *decimantes mentam et rutam legis*²⁾ graviora relinquunt. Sectentur ergo carismata meliora fraternitatis caritatem, pacem cum omnibus hominibus habentes, non semetipsos defendentes, recogitando Dominum Jhesum, quatenus sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, donantes invicem, sicut et Christus donavit nobis. Deinde religionem suam mundam per diligentem oris custodiam custodiant, quia vas, quod non habuerit operimentum, immundum erit, cellae quoque solitudinem amantes operisque communis descriptionem in silentio et quiete panem suum cum gratiarum actione manducet scientes scriptum esse: *Qui non laborat, non manducet*³⁾. Demum omnem regularem disciplinam sectantes meminerint devotis orationis sacrae lectionis ac contemplationis exercitiis dies festos sanctificare devitantes omnem otii inertis maculam, qua oculos divinae maiestatis vel in minimo offendere possent, ut sic misericordem Deum semper videre mereantur.

Status domus est: prior et XXV fratres professi, duo novitii cum familia laicorum lata. Tenentur vero in debitis circiter florenos Rhenenses trecentos et cum annuis redditibus ad vitam unius sex aut septem florenos.

Stetimus in eadem domo visitationis gratia in quartum ferme diem.

In quorum omnium fidem sigilla prioratum nostrorum hic impressimus anno quo supra die mensis Februarii decima.

(Siegel ab.)

¹⁾ *Matth. 23, 24.*

²⁾ *Luc. 11, 42.*

³⁾ *Thess. 3, 10.*

1622¹⁾).

In nomine ss. et individuae Trinitatis amen. Nos frater Joannes Schutz ordinis canonicorum regularium s. Augustini, domus s. Joannis Baptistae in Aquisgrano prior et capituli nostri generalis in partibus Germaniae commissarius visitator, accedente quoque speciali commissione²⁾ reverendi admodum patris prioris superioris domini Pauli Schoof et in Rubea Valle³⁾ prioris de domibus nostris in transisalana et adiacentibus provinciis situatis visitantes domum colligationis nostrae Windesemensis dictam Nemoris beatae Mariae in Vrenswegen prope Northorn in comitatu Benthemensi dioecesis Monasteriensis, cum adhuc nequicquam in melius mutatam huius domus olim tam celebris constitutionem, pro dolor, nimis miserabilem et sanguineis lacrymis deplorandam vidissemus — nam praeter ecclesiae structuram sartam tectam adhuc omnis ornatus catholicus cum altaribus ipsis omnibus a fundamento dirutis et, quod multo acerbius, omne religionis nostrae exercitium inde exulavit, denique aedificia partim vel collapsa vel extremam ruinam minantur — de immensa benignitate Dei, cuius *manus non est abbreviata*⁴⁾ et qui in ira misericordiae recordatus, confisi, quod, sicut in vicinis regionibus iam coepit, ita et hic reviviscere religio possit, idcirco unicum istius domus fratrem superstitem et ab ordine non alienum capituloque generali oboedientem patrem Franciscum Dietermannum procuratorem paterna sollicitudine opportune et importune monuimus, quam potuimus, serio et non semel obnixè rogavimus, ut vocationis et votorum suorum memor sollicite ea explere et reddere satagat, et quoniam sine fide, id est vera, catholica, apostolica, quae saltem una, est impossibile placere Deo, quantumvis in medio nationis pravae constitutus in catholica religione fortiter persistat nec ullis quorumcumque favore, blanditiis, persuasionibus vel terrore minisve ab ea dimoveri se patiatur (*oboediendum enim Deo magis quam hominibus*⁵⁾), quod tum securius

¹⁾ Über die Visitationen von 1613, 1616 und 1618 (Richter S. 34) liegen keine Protokolle vor.

²⁾ Daraus macht Richter S. 34: „1622 kam der Ordensgeneral Johannes Schuer (!), persönlich mit dem Prior von Aachen nach Frenswegen.“ — Schutz wurde erst 1626 General (Acquoy 3, 319, Schmitz-Kallenberg im Hist. Jahrbuche 36, 1915, 601).

³⁾ Rookloster bei Brüssel. Schoof war 1620—1626 General (ebd.).

⁴⁾ Js. 59, 1.

⁵⁾ Act. 5, 29.

fecerit, si a Deo ipso, cuius donum fides est, constantiam in ea et contra quoscunque diabolicos humanosque tentationum insultus resistendi fortitudinem et perseverandi gratiam quotidianis precibus in primis efflagitet ac deinde affectu in Deum ipsum, in ordinem reciproco et sincero ac prompta voluntate (quae in defectu commoditatis coram Deo pro opere valet) contriti cordis sacrificium Deo offerat, peccatorum culpas poenitentiae lacrymis abstergat, horas canonicas pie et devote legere non omittat, piis quoque lectionibus, quando socios adhortatores non habeat, se ipsum reficiat animamque suam in Dei, conditoris et redemptoris sui, cognitionem et amorem accendat, denique in omni conversatione sua ita circumspectum se gerat, ut bonus odor virtutum sit etiam religionis nostrae aemulis et maiori gratia atque aeterna beatitudine potiatur. Ad hoc iniunximus ipsi tribus vicibus legendos septem psalmos poenitentiales cum litiis et precibus pro peccatis.

Porro usque ad aliam capituli generalis seu prioris superioris dispositionem continuamus praedictum patrem Franciscum in officio procuraturae et concedimus, ut sigillo prioris, cuius vices sub titulo administratoris gerit, in elocationibus et licitis contractibus utatur. Contractus vero omnes diligenter assignet et annuos computationes, uti hactenus fecit, componat, ut visitatoribus rationem reddere de omnibus paratus sit.

Registrum annum frumentorum omnium, quae sub mensura recipiuntur, instituet, in quo et distractio eorundem, scilicet quid et quantum pro annona, pro culina, pro cerevisia, pro pabulo equorum, pro masticatione porcorum quidve venditum diversis capitulis annotet, unde administratio domestica clarius elucescat.

Nulla bona vel redditus oppignoret aut dividat, quaecunque vero bona vendita, permutata, redempta sunt, ex antiquioribus registris pro instructione separatim consignet, studeat vero oppignoratis redimendis et extinguendis debitis, quantum potest, fidelitatem suam et industriam ordini in hoc contestando.

Attendentes domesticae administrationis amplitudinem et quod agricultura bonorum circa monasterium per tot mercenarios et famulas absque propinquiori inspectione non adeo frugaliter ac fideliter in decrepita patris procuratoris aetate, victualium omnium caritate, bellicis temporibus et, quod propriis quisque nimum studeat commodis, exerceatur, his aliisque rationibus moti non tam suademus quam necessarium arbitramur, ut ea bona sub certo canone uni alterive colono ad certos annos elocet, quo in

minorem numerum contracta familia Deo sibi quietius vacare possit administrator.

Praedia vero et prata, quae pro ratione temporum plus nunc quam olim praestare possunt, cum anni priores expiraverint, carius elocentur (cum constet plerosque vix dimidium solvere), nec facile ultra sex annos novae elocationes extendantur, ad duodecim raro, rarissime vel potius nunquam ad vitam, nisi natura bonorum et patriae aliter ferat.

In abscindendis et donandis quercinis lignis silvae Scutorpensis moderatior sit et difficilior.

Porta versus pontem nocturna sera muniatur et quotidie circa vesperam claudatur.

Status domus talis est: procurator religiosus unicus cum duabus sororibus religiosis decrepitis et familia interna externaque ampla. Debita, de quibus pensationes annuae dandae, ad 3580 daleros sese extendunt.

In quorum omnium fidem et robur praesentem chartam sigillo officii nostri propriaque manus subscriptione communivimus. Acta sunt haec 20. die Octobris et praecedentibus anno salutis MDCXXII.

(Siegel.)

Fr. Joannes Schutz, prior
et commissarius qui supra,
subscripsit.

Einlagen.

Im Jahre 1626 wurde der Prior von Sand bei Straelen, Quirinus Steghmann, als Visitator nach Frenswegen geschickt. Da ein eigentliches Visitationsprotokoll nicht vorliegt, sei sein Briefwechsel mit dem General Schütz, wie er in v. C o o t h s Annalen vorliegt, mitgeteilt.

1.

Steghmann an den General.

Reverendissime pater! Ad populum incircumcisum et durae cervicis me misistis: bene est. Vos sic iussistis, Deus sic voluit, libenter oboedivi et feliciter cum fratre Alberto¹⁾ appuli. Procuratorem²⁾ versipellem, peste et angue peiorem reperi, hactenus duplici via gradientem. Quomodo superiorum oculos tam turpiter fascinare potuit? Iam denudata iniquitas eius; homo nam-

¹⁾ Der Chorherr Albert Brayns aus Sand sollte als Konventual in Frenswegen eingeführt werden.

²⁾ Determann.

que atheus, nullius religionis tenax, pertinax, obduratus in malo. Quibus in terminis res nostrae versentur, cupitis scire. Otium mihi est, en prolixo habeto. 13. Nov. adveni. Datis vestris literis¹⁾ chartam exegi et rationes. Quibus datis dicebat: „Placet quidem alterum in procuratura subrogari, at p. generalis per collum suum mentitur me absolutionem petiisse.“ Vehementiam audaciamque miratus condigne culpavi. Mox clam familiaribus suis vocatis communicavit illis angustias imminentes. Praesentiam meam ad comitem defert iconomus Menger. Post octiduum advenit comes suaeque religionis exercitia in die dominica concionando (thema praedicantii erat de numismate Caesari dando Luc. 20) et cantando in domo nostra exerceri fecit. Prandio peracto a satrapa, doctore et iudice seorsim congregatis interrogor, an causa hospitalitatis, an vero ex commissione advenissem. Ego ingenue rem ostendi. Tum isti tres acriter mecum agebant, quod iurisdictionem comitis infregissem dicentes aliter in comitiis Augustanis per Caesarem sancitum. Quibus cum respondissem nos ex antiquissima 234 annorum semper continuata et nunquam interrupta possessione visitasse, ordinasse ac reformasse usque ad annum 1622 neque procuratori utpote volenti violentiam nullam fieri, mox illi: „Ostende voluntatem procuratoris in scripto.“ — Ego: „Sufficit mihi manus et vox viva p. generalis et fratris Joannis²⁾, quin et ipse auribus meis audivi dicentem: ‚faciat, qui melius potest.‘ En, in propinquo stat, prodeat, arguat me mendacii.“ — Illi: „Ipse constanter negat.“ — Ego: „Si negat, mentitur; at non est mirum, homo namque atheus, scortator, in Deum et homines periurus.“ Tum comes vocatus accelerat dicens: „Non dignaris mihi honorem dare, quem Deus mihi dedit? Ego in meo comitatu sum, quod rex Angliae in suo regno, rex et papa. Debuisses primo ad me venire.“ — Ego: „Libenter reverentiam ac superioritatem temporalem vobis concedo, iurisdictionem vero ecclesiasticam minime. Quod autem D. V. salutatum non veni, causa est, quia ante hanc visitationem nunquam id practicum fuit in usum ideoque nec mihi mandatum. Dein intellexi ante circiter duodecim annos priorem (Brantium)³⁾ in arce audientiam sollicitasse, non obtinuisse.“ — Comes: „Memini errone, non

¹⁾ In dem Schreiben des Generals vom 17. Sept. 1626 wird Determann mitgeteilt, daß das Generalkapitel im Rookloster am 6. September beschlossen habe, ihn von der Prokuratur zu entsetzen und sie dem Pater Johann Wasser zu übertragen.

²⁾ Joh. Wasser. Er war Profest von Gaesdonck und 1623 von dem Visitator Heinrich von Flandern in Frenswegen eingeführt worden (v. Co o t h).

³⁾ Prior von Bethlehem in Zwolle. Er war 1611 als Visitator gekommen.

priorem aliquando obtinuisse. Vobis praesentatio, nobis vero collatio, uti in pastoribus fit, convenit." — Ego: „Hoc omnino nego; disparitas namque est. Nostrum est assumere, in disciplina probare, admittere, castigare, promovere, deponere. Carcerem habemus et compedes. In his temporalis domini dispositionem non requirimus nec admittimus. Si tamen ista per nos efficere nequimus, tum auxilium imploramus. Si procurator petitioni suae mendaciter non contraveniret, difficultas nulla foret. Quando per ordinis superiores administratio bonorum omnium ipsi commissa est, ut ad libitum pecunias versaret, tunc euge acclamabat. Iam vero exoneratus recalcitrat, mendaciter negat, manum vestrum implorat." — Et praedicantius: „Va, numquid ista tolerari debent a tonsurato monacho?" — Comitissa: „Iam video te, tonsuratum monachum, asinum esse." — Ego: „Deo gratias pro urbanitate verborum. Scias tamen ratione officii mei asinum non esse. Video namque, quod quasi violenter suffertis partes procuratoris, qui nec Calvinista verus, nec Lutheranus, nec catholicus, qui professionis suae oblitus est ac monachismum exiit." — Tum satrapa: „Parum abest, quin baculo te excipiam, at monachus non est percutiendus nisi ad mortem." Instabam vero constanter scire volens, an comes me domo turbare decerneret an relinquere. Comes: „Nudius tertius tibi ex procuratore per nostras literas id intimatum est." — Ego: „Vigore meae commissionis procurator mihi subiectus est. De manu eius tale edictum non accepto. Habetis iudicem et satellites, per ipsos agite, quod placet. In utrumque namque paratus sum." Quibus dictis comitem abeuntem insequor dicens, quid discernit. Comes: „Dicitur tibi."

24. Novembris iudex, notarius Holste cum duobus consulibus edictum peremptorium offerunt. Cum instaret, ut originale mihi communicaret, copiam supposuit. Festinus ergo in Neienhuys abii apud comitem pro sigillato instans dicensque: „Quid mihi nuda copia proderit? Numquid puer sum, ut istam superioribus transmittam? Numquid viva vox pluris est quam nuda charta? Manus sigillumque semper penes D. V. manent, mihi vero vigore edicti pro defensione competunt." — Comes: „Non est nostrae consuetudinis." Tum omnes glomeratim insurgent. Ego contra: „234 annorum visitationes probare possumus. Tres generales intra 16 annos sine cuiusquam oppositione visitarunt, procuratorem instituerunt, rationes audierunt aliaque egerunt, quae ratio loci postulabat, et qua audacia dicitur nos modo insolita innovare?"

Talibus oppugnabar et oppugnabam audaciter dicens: „Ego firmiter proposui loco non discedere nisi haec superioribus meis intimavero. Placetne mihi territorium concedere an non?“ — Comes: „Scripto te conforma, ulterius nihil respondeo.“ — Ego: „Credat mihi D. V. nos Bruxellae et alibi ordinis fautores habere plurimos, et quidem antehac commendationem gratiosam ab archiepiscopo Coloniensi habuimus. Sed quia D. V. nos usque modo non turbavit, hinc afferre distulimus.“ — Comes: „Ego archiepiscopo Coloniensi non subsum, sed imperio; ad iustitiam appello.“ — Ego: „Placet, et nos ibi pedem sistemus.“ Agebantur haec in praesentia satrapae, doctoris, trium iudicum et trium praedicantium. Summarium habet discursum et perutilem causaeque disponendae pernecessarium; iam singula trutinat, disponat, sollicitet. Loco abire consultum non est, et in loco manere domui Arenanae¹⁾ perniciosum. Absque capite domus utraque relinquenda non est. Ad honorem Dei constanter et intrepidus steti. De cetero extrema tentanda Deus suggessit. Ipso consummatore quo et authore prudenter continuanda est possessio. Comiti militia Caesareana timori est. Ex praeteritis ominantur, quid evenire possit. Certum est, si abiero, quod fratrem Albertum non tolerabunt, et consequenter nemo subintrabit. Patria namque horrida et inculta, haeresi conspurcata et iudaismo peior delicatos non patitur. Si nominatus prior venturus, quid moratur? Cur partibus sibi creditis se subtrahit? Adveniat, iam praesentia cordati viri requiritur, pusillanimes patria explodit. Quid dicam? Nisi venerit prior, actum est de loco. Et quid? Si certo vobis constiterit priorem Wallium²⁾ non venturum, ne domus haec pessum vadat, aut mihi eius ruina imputetur uti p. Brantio domus Hieronymiana³⁾, ecce tibi (parcat Deus praesumptioni) prioratui meo iam optime constituto et in temporalibus benedicto ad honorem Dei et deiparae virginis Mariae renuntiare paratus sum, ut pro ecclesia in loco haeretico fiducialiter et constanter stem et pugnem. Quia nempe tot fuere, qui ditatis marsupiis abiere, hinc existimant me quoque ideo accurrisse. Sed non ita esse Deo, vobis et mihi constat. Hinc cornua sumunt, ut me excutiant. Ego vero (sine iactantia) idem repeto malle me ad honorem Dei et commune bonum inter angustias perversorum

¹⁾ Sand, Steghmanns Priorat.

²⁾ Dieser war kurz vorher als Prior in Aussicht genommen. „Sed ob maxima pericula aegre se conferre eo hactenus potuit, speratur tamen venturum“, schreibt der General am 14. September 1626 an Wasser.

³⁾ Wohl Hieronymusdal bei Leiden (Acquoy 3, 147 ff.).

hominum ad modicum premi monasticae vitae memor, quantum Deus concesserit, quam ecclesiae Dei hic eversae pro modulo meo talentum meum subtrahere. Parcat mihi Deus, sic sentio. Vos iam disponite, ut placet, quo locus ordini et ecclesiae servetur, ea cautela, ne locus Arenanus multo labore compositus absentia mea pereat, ne perdita quaerendo parta perdamus. Nos ad primum ingressum altare construximus quotidieque pro beneplacito celebramus, quod etiam comitem non latet. Aegre quidem ferunt, sed Deo potius quam hominibus oboediendum censeo. Helluones mensales domo pellere coepimus. Deus in omnibus nobis benedicat. Nos ad eius honorem et ecclesiae restorationem, quidquid in nobis virium est, libenter impertimur, ut gratiae ad fontem refluant, unde fluxerunt. Valeat reverendissimus pater memor nostri in sacrificiis, ut, qui aporiamur, non destituamur. Ex Northorn¹⁾ 26. Nov. 1626.

P. S. Si hic hiematurus sum, domui Arenanae sine capite timeo, ne non bene perduret. Paternitas vestra oculus est, attendat, virga est, percutiat, ne noster zelus in opprobrium nobis cedat. Valeat.

2.

Steghmann an den General.

Reverendissime pater! Exspectans exspectavi et anhelos scire, quid agendum. En, transmittitur instrumentum super puncta primae inhibitionis, videt insuper nudam copiam secundi edicti peremptorie mihi intimati, et pro maiori fide institi apud notarium, ut instrumentum desuper mihi communicetur, ne puerili timore me hinc abiisse quandoque quis dixerit. Res nempe comiti iam cordi est. Ad honoris et mei et P. V. conservationem sump-
tibus non parcendum putavi. Iam paratam habebam protestationem contra comitem, at consulte suspendi. Ego quidem animum non despondeo, licet procurator in faciem mihi dicat se nec mihi nec ordini obtemperaturum, nisi comitis mandato ei iniunctum fuerit. Quantos mihi terrores omni die incutere conetur, fando vix eloquar. Omnes incolae cum ipso fremunt aditum sibi ad convivandum ereptum. Iam in solarium altari constructo missae officium silenter perficio, at procurator frendens nunquam dignatus est accedere, imo comiti idem denudavit. Pergimus tamen

¹⁾ 1580 hatte sich das Stift wegen des spanisch-niederländischen Krieges auf die vom Grafen gekaufte Burg Nordhorn zurückgezogen (Richter S. 32).

audacter tam nobilium quam ecclesiasticorum virorum ex Oldenzalia¹⁾ animati in Domino Jesu confidentes comitem non audere violenter nos educere, id quod et comiti et iudici saepius obieci me loco non movendum, nisi violenter eduxerint. Habet iudex fratrem, quem a comite in iconomum Frenswegianum, nisi supervenisset, iam iamque surrogandum speraverat. De cetero descendenda possessio non est. Oportebit ergo P. V. adlaborare, ut de capite provideatur, quod eam continuet; sin autem, perit locus et ordini et ecclesiae. Habet fere, quae P. V. scire oportet, quantum suggerere possum. Ex his duobus edictis claret, quam despicate de rebus ecclesiasticis loquatur, quam arroganter sibi papalem iurisdictionem tribuat. Similia comiti Tecklenburg dominium Lingense ademerunt. Ego deiparae virgini gratias immensas agere non cesso, quod eorum adventum, tam minaces et quasi flammis micantes vultus uti rem ludicram despiciere possum. Et quoniam strenui militis normam tenere statui et stationem quamvis cum vitae discrimine iunctam non deserere, hinc rogo, ut P. V. fratres Arenanos scripto exhortari satagat, ne, si quid in absentia mea deperierit, mihi imputetur. Valeat. Ex Northorn 16. Dec. st. nov. 1626.

3.

Antwort des Generals²⁾.

Pax Christi. Venerabilis p. prior et secretarie, tres R. P. V. literas³⁾, duas 29. Novembris, alteras 30. eiusdem datas accepi ipsa conceptione B. M. V. Ex omnibus video intentionem comitis post obitum procuratoris invadere bona nostra, ut mirer, quod Wasserius adhuc eo usque toleratus sit. Quam ego et quoties ursi R. P. generalem antecessorem, etiam ex Roma, ut aliquos huc ablegaret prioremque constitueret! Omnia frustra. Scio enim ex confessione ipsiusmet procuratoris ipsum comiti devinctum foedere etc., quae omnia V. P. V. iam plus satis experitur. Sed ad rem. Quamvis ille millies me per collum mentiri dicit impudenter, ego repeto et declaro ipsum non solum procuraturam ordini cedere paratum, sed voluisse etiam Monasterium Westphaliae migrare accepta annua portione ex monasterio. Haec formalia eius verba: „Wann ich so vill als ein vicarius zu Oldenseel habe, darmitt will ich zufrieden sein, non quaero superflua“ etc. Sed credo oblitum esse vel mutatum. Colloquium vestrum

¹⁾ Hier fehlt in der Vorlage ein Wort wie *auxilio* oder *missivis*.

²⁾ Erst am 23. Dezember eingegangen und deshalb hier eingeordnet.

³⁾ Die Korrespondenz ist also zum Teil nicht erhalten.

cum comite et suis animosum fuit; si non inde ansam capiat vos violenter eiciendi (quod ob vicinum Caesaris militem non puto iam audere), bene habet. Oderunt successionem nostram, ideoque ea magis roboranda, in quem finem addo confirmationem professionis eorum pro domo Vrenswegiana (quod semper intelligitur, quamdiu ibi steterint, ne fratres putent se a propria domo discissos). Deinde omnino censeo R. P. V. ibidem cogi haerere, usque dum per R. P. commissarium Viridis Vallis aut Gilbertum curavero patri Wallio scribi eiusque mentem expiscari. Irritati sunt nempe valde, ut video. Tandem, an debeat se insinuare comiti (sive, ut ipse in suis literis salutare dicit), rogat V. P. Respondeo honoris ergo decere, quia res istis locis ita constitutae sunt, nam et pro monasterio Repdorfiano episcopo Aichstadeni idem praestitit R. P. Albertus, et volunt similiter comites uti fundatores (non tamen sunt absoluti fundatores, sed fundum, in quo constructum est, et unum adiacens praedium contulerunt, etiam cum fuerunt catholici adhuc) agnosci aliquatenus et honorari. Ita tamen caute hoc agendum, ut iurisdictio nobis remaneat, adeo ut ipsis per transennam etiam persuadeamus hoc et hoc convenienter debere fieri. Itaque cum non possit ibi totum fieri de rigore et plenitudine potestatis nostrae sicut in Brabantia, Geldria etc., temporisandum suadeo aliquantum, ut intentum nostrum obtineamus, quod est conservare monasterium et familiam religiosam continuare. Si tamen R. P. V. pio hoc animoso initio a se facto progredi et perseverare possit, melius longe iudico. Sic enim prior defunctus catholicus nuper cum ipsis egit. Si quod initio procurator dixit se pati posse subrogationem, suaviter ad hoc rationibus mulcendus est, ut faciat. Hoc optassem prius factum; iam dicet se inhibitione comitis retineri. Nihilominus tamen eia tam fortiter P. V. propugnavit libertatem nostram. Addo patentes pro administratione prioratus cum procuratura usque ad adventum vel designati prioris vel aliam dispositionem¹⁾.

Interim ego Bonnae supplicabo principi pro commendatiis, quia ipse est episcopus Monasteriensis, ad ipsum dioecesis Monasteriensis spectat. Mandabo et R. P. commissario Viridis Vallis, ut supplicet infanti pro similibus. Curabo, ut, si literae electoris Coloniensis adhuc ad manum sint, eas habeam, sin minus copiam in cancellaria habere potero; inveni enim meam tunc principi factam supplicationem.

¹⁾ Diese Ernennung ist vom 10. Dezember 1626 datiert.

Ceterum non satis laudavero P. V. resignationem et zelum pro ordine. In primis provisionaliter praesidebit, ut illigamus mentem Wallii. Sin aliter fieri non possit et P. V. in mente sua constans perseveraverit, referet eandem laudem quam V. P. patruus in s. Elisabetha¹⁾. Interim ego suppriorum et vestros seriose monebo, ut disciplinam etc. observent. Curabo etiam, ut venerabilis Gaesdoncanus semel aut bis eo excurrat et advigilet. Si mora longior futura esset, posset rector interea constitui, in quo tamen consilium R. P. V. prius audiam. Si ad electionem prioris tandem aliquando ibi deveniendum esset, de persona idonea cogitandum. Supprior Coloniensis pro rectore et postmodum priore meo iudicio optimus. Sed de his cum tempore, dum intelligam prius, quomodo vobiscum agatur. Si fieri potest, sit mensa vestra lectione aliqua condita. Legantur horae simul. Sic cogetur senior etc.²⁾. Post oboedientiam animi tentandus est et ad poenitentiam flectendus. Ad hoc servient lectiones et pia colloquia.

Hisce vale, mi pater, et constanter age adiutus illo, qui pro iustitia et veritate agentes confortat, consolatur et magnis meritis ornat. Datum Bödingen 20. Decembris 1626.

Salutabit p. Wasserium et veterem procuratorem quoque Franciscum, ut meminerit utriusque nostrum lachrymarum, quibus in campo ab invicem discedendo per salutem animae ipsius ipsum rogavi, ut per poenitentiam cor ad Dominum et ordinem votaue professionis suae convertat.

R. P. V. conservus F. Joannes Schutz, prior generalis.

4.

Steghmann an den General.

Reverendissime pater! Acceptis tandem 23. Decembris vestris literis ex Twentia i. u. doctorem pro consilio accersivi. Is comitem pro nunc adeundum mihi non putavit ratus sufficere colloquium cum comite in Nyenhuys habitum. In praesentia doctoris et f. Joannis³⁾ procuratorem aggressus aequis, fraternis et piis rationibus conabar eum inducere, ut mentem seriose explicaret simulans me abitum meditari ad propria etc. Cumque ad singula puncta imperterritus et incunctanter respondisset, primo se

¹⁾ Der Prior Peter Steeghman stellte 1603 das Stift Elisabethsdal bei Roermond wieder her (*Acquoy* 3, 100).

²⁾ Ob dies im Original gestanden oder v. Cooth den Satz abgebrochen hat, ist nicht zu entscheiden.

³⁾ Wasser.

ordini semel iurasse et paratum in eo perseverare, secundo se procuraturae suae ab ordinis superioribus commissionem in scriptis quidem habere, at pro nunc vix invenire posse, tertio se comiti non esse iuramento obstrictum, quarto se futurum priorem patenti r. p. generalis instructum pro priore reverenter suscepturum et agnosciturum, imo libenter se traditurum, quidquid litterarum, sigillorum aut clavium sui coenobii esset, salva semper ipsius competentia vivendi, praecauto item, ne ad sacrificandum cogere-
tur, ad quod se inhabilem protestabatur secundum statuta, tum ego omnibus eius instantiis annuens scripto ista commendari feci et ter praelecta cum placuissent, patentes prioratus mei protuli, quibus bene perlustratis cum se pia fraude circumventum cerne-
ret, retrolapsus, dum instarem, ut manum porrigeret in signum recognitionis: „Non faciam“, inquit. „Si comes te suscipit, et ego te suscipiam.“ Petitoque sigillo prioratus noluit tradere adiciens se omnibus invitis in regimine permansurum, morte namque prioris ad se sigilla, claves et procuraturam devoluta esse.

Durante praesidio Caesareano omnia salva esse videntur, at eo ablato quid futurum sit, tempus docebit, ita ut cum violentia procedere praematurum videatur, ne nimium emungens sanguinem eliciam.

In commissione prioratus mei procuraturae oblitus est. Et quia literis suis titulum prioratus satis restringit, optassem in plena debitaque forma datam, quoniam, quod acclivis mentibus satis est, hoc depravatis, qui in nodo scirpum quaerunt, parum est. Iam si illas produxero, conditionatum clamabunt, non ut loco prospiciam, sed ut bonis inhiem. At bene mihi sufficit, si nemo urserit.

Ubi mentem p. Wallii habuerit, non procrastinet et quidem, nisi se paratissimum ad creditum sibi munus arripiendum scripserit, sed vel aegrum vel quacunque causa praepeditum, fraudem credat actusque inoboedientis filii; nam alias locum vidit, mores, cibos aliaque notavit. Si placerent, non se elongaret. De resignatione mea non dubitet. Quid mihi patria, quid amici conferunt nisi distractiones et ansam peccandi? Ad honorem Dei et pro-
vectionem ecclesiae iisdem paratus cedere cogitans forti omne solum patriam. Ordo mihi pater est, ordo mihi mater est. Is sibi acclivem fidumque Achaum non deseret, non aspernabitur, sed sinu suo recipiet uberibusque pascet. Deus verbo huic parcat. Ceterum de rectore in Arena substituendo, priusquam rationes meas conventui posuero, non consentio, ne, si res

non ad optatum successerint, administrationis meae (citra iactantiam) in utroque foro satis laudabiliter impensam curam confusum chaos involvat. Curae P. V. me committo, ut instar sui ipsius curam gerat. Vobis fido, nescio si cui alteri. De rectore proposito non dissentio prioratu eum dignum iudicans. Si a serenissima infante Brabantiae commendatitias impetraverit, citra dubium plurimum proderunt. Cumque senior omnes nostros conatus irrideat et irritet, non abs re foret omnes quoque eius actiones adnihilare et irritare, elocationes, compositiones, chyrographa aliaque, quae sibi superbe arrogat, novis etiam sigillis prioris et conventus erectis antiqua invalidare, imo, quidquid forte per ipsum in praeiudicium ordinis post obitum prioris ratificatum fuerit, revocare et cassare. Nos iam annuorum reddituum sufficientem instructionem habemus, et quae onera incumbant. Dicitur quidem recte temporizandum, at in hac senioris pervicacia silere, edendo et bibendo dies terere, ineptias eius, contumelias, blasphemias patienter tolerare, quid proderit? Quidquid ei dicatur, laterem lavamus, fando technas eius non assequar. Hinc cum omnibus accuratissime lusit, risit, decepit. Quid? Audacter dicit omnem suam spem in victoria vani positam. Talibus votis dies terit, pro pudor! P. V. consilium sanum suggerat, ne in illud incurratur; cum valemus, sana consilia aegrotis damus. Libenter sequar. Valeat. Ex Northorn ultima Decembris 1626.

Der neue Prior bekam mit dem Chorherrn Wasser am 29. Januar 1627 vom Grafen einen Ausweisungsbefehl, fand aber in dem spanischen Gouverneur von Lingen und der Infantin Isabella, Gouvernante der Niederlande, Fürsprecher. Der Graf hielt zwar am 13. Juni 1627 an seinen „vorigen Erklärungen, Protestationen, Contradictionen, Manutentionen, Inhibitionen, Mandaten und Bevellen“ fest, ließ aber den Prior gewähren. Am 12. November 1627 wurde Steghmann zum ständigen Prior von Frenswegen ernannt. Determann starb am 27. Januar 1628. Es gelang dem gewandten und energischen Prior, das Stift trotz aller späteren Versuche des Grafen und trotz der Wechselfälle des dreißigjährigen Krieges der Kongregation zu erhalten. Am 18. Dezember 1636 und am 19. Juni 1645 wurden ihm kaiserliche Schutzbriefe ausgestellt.

Nach dem Westfälischen Frieden verbot der Graf mit Berufung auf das Normaljahr das „exercitium catholicae religionis“ in Frenswegen und Nordhorn. Aber der vom General und von

Prior und Konvent gegen ihn angestrengte Prozeß verlief für ihn ungünstig. Kaiserliche Kommissare waren der Bischof Franz Wilhelm von Osnabrück und der Graf Anton Günther von Oldenburg. Die Subdelegierten des Bischofs, der bekannte Adam Adami und Lic. Johann Bock, erstatteten im Oktober 1649 über ihre Ermittlungen folgenden Bericht^{a)}, mit dem der des Subdelegierten des Grafen, des Dr. Konrad Balthasar Pichtell, völlig übereinstimmte:

Hochwürdigst-Hochgebohrner Fürst, Gnädigster Herr! Auff die von Ew. Hochfürstl. Gnaden unß gnädigst aufgetragene Subdelegations-Commision einige zwischen HH. Generalen Ordinis Canonorum Regularium undt Priore undt Convent zu Frenswegen als Impetranten eines, undt den Hoch undt Wohlgebohrnen Herrn H. Ernst Wilhelm Graven zu Bentheim, Tecklenborg, Steinfurt undt Limburg alß Impetraten andern Theils wegen deren in der Grafschaft Bentheim gelegenen Clöster Frenswegen und Mariengarten¹⁾ sich enthaltende Differentien und Streitigkeiten betreffend, haben wir obliegender unserer unterthänigster Schuldigkeit gemeeß undt zu gehorsamster Folge deren von Ew. Hochfürstl. Gnaden empfangener gnädigsten Instruction undt Befeles nicht unterlassen, zusambt dem gräfflichen Oldenburgischen Mittsubdelegierten, Dre. Pichtell, über das Factum Possessionis anni 1624 durch Auffnehmung lebendiger Gezeugen und schriftlichen Beweißthumben nach Inhalt des Instrumenti Pacis . . . unß . . . zu informiren . . .

Das Hauptwesen aber ahn ihm selbstn belangend undt zwar für erst, soviel das bey der Gräfl. Bentheimbschen Stadt Northorn situirtes Closter Frenswegen betrifft, haben wir . . . unß in so viel berichtet, daß dessenthalben sich enthaltene Difficulteten undt Streitigkeiten vornehmlich in folgenden zweyen Puncten bestehendt seyn:

Erstlich in der Possession des Closters so woll alß des Refugii oder Residentz zu Northorn, die Burg²⁾ genannt,

Zum andern in dem Exercitio Religionis catholicae so woll in gemeltem Closter alß auff der Burg publico oder privato.

Undt haben wir über beyde diese Puncten die Partheyen der Gestalt von einander undt sich e diametro zuwidergehend befunden

a) Eine Stelle im Eingang habe ich gekürzt.

¹⁾ Schwesternhaus Schüttorf.

²⁾ Vgl. oben S. 221 Anm. 1.

den, daß, waß die eine darbey asserirt, die andere dasselbig verneinet und gleich die Impetranten-Geistliche vorgeben, daß der Ordo Canonicorum Regularium S. Augustini, auch Prior undt Convent vor undt in dem Jahr 1624 in würlklicher Possession vel quasi des Gotteshauß Fren-deswegens undt dessen Northor-nischer Residentz, die Burg genandt und aller dem zugehöriger Güter und Rhenten, auch dem Exercitio Religionis gewesen seyn und noch, also wirdt hingegen ahn Gräfl. Bentheimscher Seithen wahr, notorium undt unläugbar zu seyn gesetzt, daß nicht der Ordo oder Conventuales, sondern der H. Graff undt sein Herr Vatter sehl. vor undt in dem Jahr 1624 in possessione vel quasi bemelten Closters undt Residentz gewesen, auch dessen zugehörige Güter durch denen von Herrn Graffen, nicht aber durch die Ordens Superioren bestellten Administratorn Franciscum Dieterman bevorab in gemeltem Jahr 1624 verwalten lassen.

Gleich nun diese sothane Positiones undt Assertiones schnurstracks wider einander laufen, alß können wir unsers Theils sepositis quibuscunque affectibus undt alleinig in Erseh- und Erwe-gung deren vor unß sammt undt auf dem Rhathauß öffentlich undt solemniter geschehener schriftlichen und mündlichen Remon-strationen, producirten Actis, auch deren fast einhelligen Zeu-gen-Aussagen in Wahrheits Grundt undt so wahr wir dasselbig gegen Gott, die Röm. Kays. Majestät, Ewer Hochfürstlichen Gnaden undt jedermänniglichen darzuthun undt zu verantworten getrauen, keines Weges bey unß befinden, daß Ihre Gräfl. Gna-den zu Bentheimb oder dero H. Vatter sehl. in mehrgedachtem 1624. Jahr im würlklichen Besitz des Closters, der Burg oder dazugehörigen Güter gewesen seyn, sondern müssen vielmehr hingegen dafür halten, haltens auch auß obangezogenen Beweis-thumben gewiß undt unverneinlich, daß der Regulier-Ordo Ca-nonicorum S. Augustini jederzeit und insonderheit im selbigen 1624. Jahr in würlklichem Besitz genannten Closters, Residentz oder Burg undt Güter gewesen, infolgentlich vermög des allge-meinen Reichs-Friedenschlusses undt darauff allergnädigst er-gangener Kays. Commission darbey zu manuteniren undt zu schützen, auch hinführo nicht zu turbiren, sonder bey conti-nuirter Possession ruhiglich in allen Wegen zu lassen seyn, wie dan mit folgenden Beweißthumben überflüssig beschieden zu seyn ermessen müssen.

Dan für erst unleugbar undt zu Behuef undt Vortheill der Religiosen erwiesen, daß vor, in undt nach dem Jahr 1624 zween

Ordensherren alß mit Nahmen Franciscus Dieterman undt Joannes Wasserius zu Northorn auff der Burg vorhanden, gegenwärtig undt in Besitz gewesen, von dem mehreren Theil, nicht allein an der Impetranten, sondern auch ahn Gräfl. Bentheimbscher Seiten vorgeschlagen und darüber gehörten Zeugen aldah im selbigen Jahr gesehen undt gekennet, deren einer zwar, Franciscus Deiterman, Procurator gewesen, und erst in anno 1628 zu Northorn auf der Burg gestorben¹⁾, aber sonst vorhin continuirlich so lang aldah gelebet, daß fast weinige under beyder Seiths Gezeugen seiner Ankunft undt Anbeginnes seiner getragenen Procuratur sich erinnern oder davon Bericht geben können.

Der ander aber, namentlich Joannes Wasserius im Jahr 1623 umb die Pfingstern oder wie solches Jahr die einfältigen Leuthe zu circumscribiren pflegen, umb die Zeit, da Herzog Christian von Braunschweig umb selbige Gegend von den Tyllischen Volckeren geschlagen worden, welches dan im Jahr 1623 im Sommer geschehen, wie reichskündig, welcher Joannes Wasserius auch von dem Generale Capituli Windeshemensis in ebenselbigem Jahr 1623 nacher Northorn abgefertiget undt sich daselbsten im Junio 1623 eingestellt, aldorten die übrige Zeit dessen undt das gantze folgende Jahr, auch nachgehendts usque ad diem obitus²⁾ lang verblieben, dem Procuratori Dieterman in seiner Verwalt- undt Haushaltung beygestanden undt geholffen, von dem Procuratore die nothdürfftige Kleider, Bücher undt andere Behuefungen auß des Convents Mittelen empfangen, auff der Burg sich alß ein Conventual-Geistlicher verhalten, daselbst mit dem Procuratore gessen und getrunken, von ihm, Procuratore, ein Confrater genennet worden undt also unseres Ermessens alhie nit hinderlich seye, waß hinc inde von Qualification deß Patris Wasserii ahn Bentheimbscher Seithen angedeutet wirdt, weilen die Qualification undt daß dieser Pater ein Catholischer, Canonicus regularis, Sacerdos, Professus, a Generale missus gewesen, dem Orden, nicht aber dem Herrn Graffen vortrüglich seyn mag, ahn dessen Seithen nicht probiret ist, daß Religio evangelica eine Qualitas necessario requisita gewesen seye ad existendum conventualem in Frendeswegen.

So hat gemelter Procurator Dieterman die Administration undt Verwaltung des Closters von seinem General und Orden empfangen, dessen Güter undt Gerechtigkeit vor und in dem

¹⁾ Vgl. S. 226.

²⁾ Wasser starb am 25. August 1634.

Jahr 1624 seines Gefallens frey undt ohngehindert verwaltet, in dem Closter sowohl alß auf der Burg zu Northorn jederzeit eine völlige Familiam undt Haußhaltung, Brauw- undt Meyerey, Knechte, Mägde undt andere Dienstvölcker, auch Schlüssel zu den Pforten, Küchen, Kellern undt sonsten gehabt, des Closters Ländereyen gebauet, verpachtet, Zinß und Gelter eingenommen, die bey ihm ankommende Gäste hospitaliter tractirt, ansehentliche Donationes den Armen und Schulen gethan, jah sogar denen Herren Graffen und Frauen Gräffinnen selbst mit beliebigen Verehrungen begegnet, gestalt er auch auff deß jetzigen Herren Graffen Kintertauff zu erscheinen von dessen H. Vattern sehl. begehrt worden undt dahmals ad 17 oder 18 Rthlr. neben anderen Honorariis präsentiren lassen undt in summa mit deß Closters Gütern geschaltet undt gewaltet, wie andere Aigenthumsherren mit dem ihrigen zu walten und zu schalten pflegen, seine von Jahren zu Jahren, in specie anno 1624 ordentlich geführte Rechnungen vor keinem andern alß deß Ordens Deputirten abgelegt undt keinem andern alß ihm selbst, seinen Confratribus, Nachkömmeligen, dem Ordini undt Closter zu Gutem dessen Güter und Intradan administrirt, auch in gedachten Jahren 1623 und 1624 von dem Herrn Graffen zu Bentheim selbst einige Restanten undt schuldige Jahrzinse empfangen undt in obgemeldter Rechnungen gebracht, gestalten er auch vom Orden alß dessen oboediens filius erkennet undt von demselben wegen Verkaufung einiger Erbschaft zu des Convents Besten Consensus erhalten, nit weniger die gewöhnliche Ordinis oder Capituli Contributiones noch eben vom Jahr 1624 verrichtet.

Wie dan auch gedachter Procurator dieser seiner Administration halben im Jahre 1624 für einen Landstandt der Grafschaft Bentheim gehalten, auff Landtagen zu erscheinen befugt gewesen, auch in Anno 1620 und 1627 (dieweil sonst eben im Jahr 1624 kein Landtag vorgewesen) auff damahls gehaltenen Landtäge beschrieben, daselbsten erschienen undt deren verfertigte Recessus eigenhändig unterschrieben hat.

Eß hatt zwarn an Seithen H. Grafens wöllen sustinirt werden, ob wehre dieser Procurator Franciscus Dieterman, insonderheit nach Absterben weiland Joannis Fabricii ab Arnheimb Prioris, welcher anno 1611 in der Catholischer Religion entschlaffen undt in der Closter Kirchen begraben worden, nit der Catholischer, sondern der Evangelisch reformirter Religion zugethan gewesen undt darin biß seine Sterbstunde, welche obgesagter

Maßen im Jahr 1628 vorhanden gewesen, verharret, wie auch daß selbiger Dieterman die Administration nicht vom Orden, sondern von denen Herrn Graffen aufgetragen undt in dieser Nahmen das Closter, die Burg undt darzu gehörige Güter seyn verwaltet worden. Eß erhellet aber, alß viel dieß letztere belanget, auß dem, was itzt vermeldet, angezogen undt erwiesen ist, das gerade Contrarium, daß nemlich Procurator Dieterman vom Orden angesetzt undt in dessen Nahmen, auch demselben, nicht aber denen Herren Graffen zu Gueten undt Vorthell des Closters undt waß darzu gehörig Administration geführt habe, wozu dan auch noch dieses kömbt, daß ja ungläublich, ob solten die H. Graffen von Bentheim über diejehnige ansehentliche Closter-Güter, welche sie ihrer absoluten Disposition gleichsamb eigenzugehörig zu seyn vermeinen, wöllen einen solchen Administratorn gesetzt haben, welcher dieselbe seines Gefallens ihme selbst undt andern Außwertigen zu Gueten ohne der H. Graffen wenigsten Nutzen, ja auch mit dem Nachtheil undt Schaden, undt daß solchem Administratorn die HH. Graffen selbsten jährliche Schuldigkeit müssen abstatten lassen, wie geschehen, verwalten können undt dürfen, auch solcher Gestalt ohne Einrede würrklich verwaltet habe.

Worumb dan ahn Gräfl. Bentheimbscher Seiten in übergebener Deduction und Probatorialen etc. zwarn jehweillen allegirt werden will, daß der Procurator Deiterman von dem Herrn Graffen angesetzter Administrator gewesen seye, solches aber mit den geringsten Buchstaben nit bescheinete worden, außershalb waß N. N. deponiert, da doch von der Impetranten Seithen das Gegentheil vermittelt obangezogener Documenten undt Zeugen Aussage dargethan undt probirt ist.

So viel aber H. Dietermans seel. Religion betrifft, haben wir in reiffer Erwegung desjenigen, waß sowohl schriftlich von den Partheyen alß mündlich von beyder Seiths vorgestellten undt eidlich abgehörten Zeugen vorkommen, warhaftig anders nit erfahren können, alß daß derselb der Röm. Catholischer Religion, insonderheit auch in annis 1623 und 1624 undt nachgehendt gewesen, auch darinnen gestorben seye undt sich alß eine geistliche Ordens-Persohn jederzeit, benenntlich in obgem. Jahren verhalten habe.

Wir wöllen alhie nit anziehen, daß die Impetranten-Geistliche diesfals pro Religione Catholica Dietermanni firmissimam praesumptionem iuris et facti für sich haben, indem er, Dieterman, wie notorium undt unläugbar, ein Canonicus regularis pro-

fessus et sacerdotio initiatus gewesen, zu welchen beyden Geist- und Priesterlichen Ständen Er keinesweges ante solemnem professionem fidei hat können admittirt werden, dannen hero ad elidendam huiusmodi praesumptionem ex adversa parte das Contrarium undt daß er, Dieterman, die Religion verändert oder davon einen Abtritt gethan habe, liquidissimis argumentis müsse probirt werden, welches aber keineswegs geschehen ist, sonder wollen allein daßjenige, waß vorkommen undt sattsamb erwiesen zu seyn unß gedüncket, alhier anziehen undt zu Beschein- undt Bekräftigung unserer Meinung, doch mit Beyseithssetzung desjenig, was bereits de reciproca agnitione ordinis et erga eundem obedientia angeführt ist undt welches mit keiner anderer Religion alß allein der Catholischen, auch mit keiner anderer Profession alß allein der Geistlichen bestehen oder einstimmen kann, wiederholen.

Undt müssen sonst darfürhalten, daß seine, Dietermans, Catholische Religion hierauß genugsamb erhelle, weilen Er von denen Ordens Superioribus verschiedenemahlen alß filius obedientiae constans in fide et religione, confrater ordinis, venerabilis, pius, dilectus, religiosus, honorandus pater erkennt, genennet undt gerühmet wirdt undt ihm besagtermaßen von dem Orden die Administration auffgetragen worden ist, er auch die Rechnungen keinem andern alß dem Orden abgestattet, visitationes ordinis angenommen undt zwarn auch anno 1622 dieselbe als Patres Superiores Commissarios geehrt undt denenselben de sumptibus visitationis providirt, Confratres Ordinis, auch andere Catholische Geistliche gern auffgenohmen, hospitaliter tractirt undt bisweilen mit honorariis beschenkt, weilen er auch dem Ambt der heiligen Meß oft undt vielmahl beygewohnet, in specie im Jahre 1624, und zwarn mit gebogenen Knien, doch zum Evangelio nach Catholischem Gebrauche wiederumb aufstehend, Meß zu lesen, insonderheit wan Pater Joannes Wasserius abwesend gewesen, selbst bestellt, die Priester wie auch deren ad sacra ministros mit honorariis et viaticis versehen und begabt, die Paramenta Altaris, Calices, Libros, Candelabra in gueter Verwahrung gehalten undt woll neue Meßbücher et quidem anno 1623 et 24 dazu zu kaufen Geld hergeben, sein breviarium undt horas canonicas gebetten, Catholische Bücher gehabt undt darinnen mit Catholischen undt Geistlichen verschiedenen Sententien, Sprüchen undt Gebettlein glossirt, maeßen unß dieselbe auffen Rathhauß zu Northorn vorgezeigt undt seine, Dietermans, Handschrift darinnen

recognoscirt ist, weil er auch die Catholische Fasttage, Freytage, Sambstage undt andere gehalten undt kein Fleisch gessen oder gespeist, auch sogar ahm Mittwochen undt im Advent nach altem des Ordens Brauch Abstinenz gehalten undt dan jeweilen andere, in specie Lucas Hattum, einen Catholischen Bürger zu Northorn, der Beständigkeit im Catholischen Glauben erinnert hatt, wie dan auch auß eigenhändigen Schriften wohl zu ersehen undt zu verstehen, daß er *Doctrinam Catholicam de meritis bonorum operum* benantlich im Jahr 1624 gehalten habe.

Ohne ist es nit, daß ahn gräfflicher Bentheimscher Seithen nicht weniger einige Schrifft und mündliche Beweißthumben, ob solte mehrgedachter Procurator Franciscus Dieterman der Evangelischen reformirten Religion zugethan gewesen undt darin biß in seine Sterbstundt verharret seyn, vorkommen, wie dan in specie fürs erst eine Schrift vorgeleget von dem Generale Ordinis Schutzio sub dato Coloniae 3. Decembris 1627 herkommende, in welcher gedachter General ihnen, Dietermannum, *de vita antea acta in haeresi et impertinentia, nec non quod religionem eiuravit, vota conculcarit, ordinem prophanarit, breviarium abiecerit et pro benefactoribus, quorum eleemosynis vixerit, debita suffragia impendere neglexerit, quodque in statu damnationis vivat, nisi in gremium ecclesiae et obedientiam ordinis se recipiat etc.*¹⁾, höfflich bestrafft und seiner geistlichen Profession erinnert, auch zum andern vermög ettlicher Zeugen Deposition undt Aussage er, Dieterman, zu mehr und vielmahlen in die Evangelische Stadt Kirchen, die Predigten aldorth anzuhören, sich verfüegt, seinem Volk freigelassen, sich in gemelte Kirchen zu begeben, denselben bißweilen auß Evangelischen Postillen das Evangelium sambt den Auslegungen vorgelesen, keine Meß in vielen Jahren, sonderlich im anno 1624 gelesen, den Evangelischen Pastoren in seiner tödlichen Krankheit zu sich zu seinem Trost erfordern lassen, von

¹⁾ *In dem Briefe (bei v. Cooth) heißt es: Pater Quirinus Steghmanus . . . te arguit et obsecravit saepius, ut in hac cohabitatione et conversatione bonorum fratrum vitam antea actam in haeresi et impenitentia commutares in meliorem . . . Dic mihi, quam daturus sis rationem altissimo et strictissimo, tu qui catholica patria, catholicis parentibus progenitus, educatus, in studiis alitus, tu, qui religionem ingressus vota Deo vovisti, tu, qui sacerdos catholicus ordinatus tot annis in monasterio Deo servisti et iam religionem eiurasti, vota conculcasti, ordinem prophanasti, breviarium abieceristi, pro benefactoribus, quorum eleemosynis hactenus saturatus es, debita suffragia impendere neglexisti? Si micam pietatis adhuc in corde tuo habes, dic, nonne tibi tua ipsius conscientia dictat, quod erres, quod in statu damnationis vivas, nisi in gremium ecclesiae et oboedientiam ordinis te recipias?*

seinen Confratribus verlassen undt gleichsamb verstoßen, er diese für Seelenzwinger gehalten, in die Stadtkirchen, nit aber ins Closter begraben undt daselbst über ihme die Leichpredig durch den jetzo noch lebenden Evangelischen Pastoren Menso Sutoris gehalten, hingegen bey der Begräbniß keine Catholische Ceremonien verübt worden seien, wie dan nach seinem Absterben der Prior Quirinus Stegman seine, Dietermans, Bücher als ketzerisch verbrant, jah schließlich er gegen jetzgemelten Pastoren sich außtrücklich erklehrt habe, daß er besagter Evangelischer Religion zugethan seye.

Über welche Beweißthumben aber zu forderist unß nachfolgendes zu Gemüth gehet, daß auch gesetzten, aber unsers Ermessens nicht erwiesenen Fals, der Procurator Dieterman von der Catholischen Religion ab und zu der Evangelischen getretten wehre, dennoch, weilen ex Actis notorium, daß im Jahr 1624 der vom Orden abgefertigter P. Joannes Wasserius vorhanden undt zu Northorn in der Burg nomine Ordinis gegenwärtig gewesen, die possessio pro Ordine könne undt müsse behaupt werden, welches aber anitzo auff eine Seite zu stellen, will unß erstlich, soviel das angezogene Schreiben Generalis Schutzii belangt, bedüncken, daß dasselbige, weilen es im End des Jahrs 1627 datirt, von dem Jahr 1624 (worauff alleinig das Absehen zu haben) nichts Eigentlichs oder Gewisses probire undt also nit allerdings füglich bei diesem Werk allegirt werde, auch theils auß anderer Leuthen Information in verbis epistolae, sicut intelligo, undt anderwertiges Anbringen Quirini Stegmans, der Zeit designirten Prioris (welcher vermuthlich die Schlüssel undt völlige Administration von dem Procureatore gern ab undt an sich gezogen haben wolte, wie aus dem Postscripto¹⁾ zu verstehen), abgelassen seyn müsse, theils aber vielmehr für eine vätterliche scharffe Erinnerung, pro paterna correctione et increpatione (wie die Eltern ihre Kinder bißweilen zu schelten pflegen undt Christus seinen vornehmsten Jünger einen Sathan genennet hat) alß für eine Bezüchtigung, wie oben angezogen, zu halten seyn, sonsten ja in eben selbigem Schreiben und von selbigem General der Procurator Dieterman diesem allem zugewen filius dilectissimus et confrater charissimus amantissimusque, item in der Überschrift honorandus Dominus Canonicus Regularis etc., item der General selbst

¹⁾ Das Postscriptum lautet: *Quia V. P. prior vester iam pro monasterio vestro inauguratus et confirmatus est, si filius ordinis esse cupis et ab ordine foveri, mando in oboedientia, quam Deo et ordini nostro vovisti, ut sigilla conventus et prioratus cum libris et registris ipsi resignes.*

sein, Dietermans, Praelatus, Superior, Pater etc. mit keiner Fuge, jah mit keiner Wahrheit hätte können gehalten und genennet werden, hingegen finden sich ahn Frensdewegischer Seiten andere mehrere undt stattlichere Beweisthumben, welche des Dietermans Catholische Religion gleichsamb klärlich undt^{a)} bewehren und beweisen, maessen auch die Bentheimischer Seithen zu Beweisung Dietermans Evangelischer Religion übrige auff die Bahn gebrachte Actus entweder auff das Jahr 1624 durchaus nicht gezogen werden, noch werden können, oder zumahlen indifferentes seyndt undt die Religion weder probiren, noch inferiren, oder durch anderwertige Beweißthumben gantz und gar elidirt worden.

Dan so weith fürs ander des Dietermans Kirchengang betrifft, kan ja darauß kein affectus Religionis, viel weniger ipsa Religio inferirt werden, sinthemalen auch viele eiffrige Catholische sich bisweilen in anderer Religion Verwandt-Kirchen begeben undt die Predige daselbst thun anhören, welches dan bey gemelten Dieterman umb so viel mehr Platz finden kann und muß, weilen derselbe niehmahl am Sonntag Vormittag, sonder allein Nachmittags und Mittwochens underm Thurn, ohne Mittgesang in der Kirchen sich befunden und die Predigt von weiten angehört hatt, wobey dan auch dieses nicht hatt können erfunden, daß er jemahlen mit den Evangelischen Reformirten zum Nachtmahl gängen, welches ein Actus proprie distinctivus Religionum gewesen wehre, dah doch im Gegentheil verschiedene Actus dargethan werden, alß dem Ambt der Meß mit gebogenen Knien beywohnen, zum Evangelio wieder aufstehen, breviarium undt horas canonicas betten, Meßpriester bestellen undt belohnen, der Catholischen Kirchen gebottene Fasttäge halten undt dergleichen vielmehr, welche von den Evangelischen Reformirten durchauß nit, von den Catholischen aber geübt, undt auß denselben prima statim fronte pflegt abgenohmen zu werden, ob einer Catholisch oder nicht seye.

Sodan tertio die Freylassung seines Dienstvolks, ob dasselbig in die^{b)} verfügen wolle, auch die Vorlesung zu Hauß aus einer Postill, gesetzt auch, dieselbe evangelisch gewesen seye, die Religionem Procuratoris nit beweiset, in Betrachtung, er seinem Dienstvolk, sofern dasselbig der Reformirten Religion zugehan gewesen, derenthalben nichts zu befehlen gehabt undt

a) Hier fehlt offenbar ein Wort.

b) Hier fehlt etwa: Evangelische Stadtkirche sich.

dan die Lection auß einer Evangelischen Postill der Ursachen kein Indicium Religionis nach sich führet, weilen das Evangelium darinnen mit den Catholischen übereinstimmet, auch die Auslegungen nicht jederzeit einen Religionsstreit, sondern mehrmalen gute Moralia in sich begreifen. Wobey dieses gleichwol für nöthig halten müssen, anzuzeigen, daß außerhalb N. N., undt diese zwar zimblich dubie, keiner auß allen Zeugen assereien dörfen, daß dieselbe Postill oder Bücher, worauß Dieterman seinem Volk vorgelesen, Evangelisch gewesen seyen, hingegen etliche dafür halten, daß er aus Catholischen Büchern vor dem Volke gelesen undt gepredigt habe. Welches auch dannenhero glaublicher, weilen under selbigem Volk einige Catholische, benentlich in anno 1624 gewesen seynd, welche von dergleichen Evangelischen Sermonen, Auslegungen und Ermahnungen das Geringste nicht wissen zu melden, undt ist sonsten von unterschiedlichen Zeugen bestättigt, daß er als ein alter Jubilarius undt mit schwerem Beinschaden behaffteter Mann, den auch der H. General in angezogenem Schreiben einen decrepitem senem nennet¹⁾, Meß zu lesen nicht obligirt gewesen seye.

Waß quarto von Beruffung des Evangelischen Pastors in seiner letzten Krankheit angeregt worden, ist nicht ungläublich, daß solches geschehen sey, dabey aber unsers Ermessens nothwendig in Consideration kommen muß, daß ebenmäßig ein Catholischer Priester Dominicanorum Ordens Arnoldus Bohm von Wietmarschen, alwo er dohmals Pastor gewesen, von dem Procuratore sehl. zu ihm geruffen, welcher auch ettliche Tage lang und zwar weinig Stunden vor seinem Todt noch bey ihm gewesen undt wieder zu kommen gebetten, dah doch der Pastor loci acatholicus ettliche Tage zuvore beneben dem Richter daselbsten, auch wohl andere Evangelische bei ihm gewesen undt also consideratis considerandis factaque collatione eorum, quae partim dicta, partim dicenda sunt, undt insonderheit auß der langwierigen Gegenwart deß von weither beruffenen Dominicaner-Mönchs vielmehr pro Religione Catholica alß ex accessu vicinorum et alloquio pro evangelica religione zu praesumiren, wiewohl auch solcher Actus alß extra terminum anni 24 billich extra Considerationem zu lassen ist.

¹⁾ *Memorare novissima tua, certissimam incertamque mortem, cogita et recogita momentum illud, ex quo aeternitas, quod tibi decrepito citius, quam forte existimes, imminet.*

Daß er pro quinto von seinen Confratribus verlassen undt verstoßen seye, haben wir eigentlich nicht in Erfahrung oder Gewißheit bringen können, außerhalb was N. N. obscure deponirt, da hingegen N. N. aussagen undt zwarn et certa scientia velut oculati testes, daß die Religiosi in seinem Todtbett aufgewartet, gedienet undt beygestanden, wie dan auch von andern Catholischen Dienstbotten geschehen seye.

Maßen dan auch sexto, daß er seine Confratres einmals Seelen Zwingers genennet undt in seinem Letzten sich in Henrich Gerlichs Behausung zu seyn gewünscht habe, kann solches wohl geschehen seyn, es kann aber auch dasselbig benebenst es extra annum 1624 widerfahren undt sonsten seine, Dietermans, Religion de anno 1624 gnugsam erwiesen, woll allein auff die bloße Leibs Verpflegung undt ihme vielleicht nit eben so willig damit an die Hand gegangen undt deswegen sein Gemüth und Seele beängstigt worden, gedeutet werden.

Nit weniger thut unsers Bedenkens wenig zu der Religion septimo, woh er, Dieterman, begraben ligge, wer auch die Leichpredig über ihne getan, und waß für Ceremonien dabey gehalten worden, weilen dergleichen Actus alieni, non vero proprii Dietermans gewesen undt gleich nichts neues, daß in einem der Catholischen Religion nicht anhängigen Lande und Stadt die darinnen etwah befindliche öffentliche Catholische gleich andern Evangelischen Leuthen undt auff einem selbigen Freyhoff oder Gottesacker begraben werden, alß auch eben zu der Zeit, daß wir über des Dietermans Religion unter andern in examine testium begriffen gewesen, zu Northorn ein notorisch Catholischer Mann und Bürger dahselbt namens Bernard Weidelinck in der Evangelischen Pfarckirchen ohne Catholische Ceremonien vermittelst einer vom Pastore loci gethaner Leichpredig begraben worden, gleichwohl Catholisch gelebt und gestorben ist. Sonsten, soviel Dietermans Begräbniß angehet, nit allein vorkommen, daß bey deroselben P. Joannes Wasserius mitt zugegen gewesen undt die Leiche begleitet, welches Er ohne Zweifel keinem a Religione et Ordine Abgewichenen gethan haben würde, sonder auch daß er, Dieterman, Zeit seines Lebens begehrt habe, im Closter neben anderen verstorbenen Geistlichen, seinen Confratribus, begraben zu seyn, gestalten er ihme zu dem End einen Grabstein habe verfertigen lassen, welchen wir aldorten undt auff demselben inscriptionem sui nominis annoch gegenwertig mit unseren Augen gesehen haben, also vermuthlich ist, daß diejenige,

welche ihme wegen seiner unehlichen Tochter verwandt oder beschwagert gewesen, ihne alß einen Canonicum regularem zu begraben nicht haben gestatten wollen.

Daß dan er, Dieterman, selbst dem Pastori von seiner Evangelischen Religion solte bekant haben, müssen wir dorthin gestellt seyn lassen, aldieweilen solches für erst nit in anno 1624, auch nicht öffentlich geschehen, undt dan hingegen viele würcliche undt öffentliche Demonstrationes der Catholischen Religion, in specie anno 1624 geschehen, der Gestalt, daß sich ettliche hoch verwundert, dah sie vernehmen, daß man anjetzo diesen Mann für Evangelisch halten wölle, auch fast alle entweder ihnen für Catholisch gehalten oder doch, soviel seine Religion berürt, davon testimonia negativa gegeben undt daß sie davon nichts zu sagen wüßten.

Waß dann schließlich die Verbrennung Dietermans Bücher angehet, obwohl keiner ex testibus solches gesehen habe, gesetzt, daß dannoch Quirinus Stegman dieselbe, soviel deren uncatholisch gewesen, verbrant oder verrissen habe, ist doch dieses ein factum tertii indifferens et plane impertinens, auß welchem keineswegs Religio evangelica Dietermanni, wohl aber Catholica Religio Stegmanni inferirt werden kan. Dan Evangelische Bücher verbrennen zwar ein Anzeigen ist eins Catholischen Gemüths, aber Evangelische Bücher bey sich halten kein indicium ist Evangelischer Religion, in nostro casu insonderheit, weilen Dietermann ungleich mehr Catholische, so noch vorhanden, alß Evangelische Bücher gehabt undt die Controversias Becani¹⁾ fleißig gelesen haben solle, mit Vermelden, daß dieß Buch eine Leiste seye, worüber die gantze Welt müsse gezogen werden.

De legalitate testium a parte comitis de Bentheimb productorum könnte viel gesagt werden, mögte auch wohl nöthig seyn, dafern derselben bey Seiths gestellt, ohne daß wider die Possessionem und respective Religionem Ordinis ac Dietermanni nichts erhebliches inferirt zu seyn uns bedüncken wollte, allein ist leicht zu gedenken, daß der Pastor und Richter zu Northorn (welche auß Cedirung des Closters eignen Nutzen zu erlangen verhoffen) dem Graffen, ihrem Herrn, gern Beyfall thun wollen, auch Henrich Gerlichs, welcher seine, Dietermans, uneheliche Tochter gehabt, viel lieber hören und reden werden, daß Dieterman Evangelisch als Catholisch undt daher matrimonii capax gewesen seye.

¹⁾ *Martinus Becanus, Manuale controversiarum. 1623 u. ö.*

Et haec quidem de Possessione Coenobii Frenswegiani, nec non de Religione Procuratoris Dietermanni dicta sunt. Wobey dan wir für unnöthig halten, Unß mit Examinirung deßjenigen, waß in der gräfflichen Bentheimbschen Deduction undt Probatorialen in vier Capitibus weitsüchtig extra annum 1624 articulirt worden, vergeblich lang auffzuhalten, gestalt die Impetranten auch dafür gebetten haben, weilen darauß keine Qualitas possessionis, viel weniger ipsa possessio in instrumento pacis requisita kan probirt werden, sonder vielmehr dadurch die Possessio Ordinis, als dessen Desertio darauß inferirt wirdt, in Erwegung, daß, obwohl wider die vor und nach abgeschickte undt ankommende Ordens Leuthe ahn Seiten der HH. Graffen einige Protestationes eingewandt, Befelch ergangen undt Verbott geschehen, dereselben gleichwohl ohngeachtet die Religiosi entweder wiederumb kommen oder aldorten continuirlich verblieben seyndt, insonderheit in anno 1623 und 24, wie oben von Joanne Wasserio, welcher anno 1623 ankommen undt die nachfolgende Jahren aldorten verblieben ist, welches auch fürter umb so viel klarer zu seyn scheint, weilen ahn Gräfl. Bentheimbscher Seithen erst lang hernacher, nemblich anno 1628 die Possessio hatt apprehendirt werden wollen, undt dadurch in facto eigentlich zu verstehen geben worden, daß vorhin keine Possessio deßseiths gewesen seye, gestalten auch ohne daß keine andere schrift- und mündtliche Beweisthumben vorkommen, wodurch die Apprehendirung der Possession deß Closters Frenswegen oder der dazugehörigen Burg undt Güter in oder vor dem Jahr 1624 könte bezeugt werden.

De Exercitio Religionis in dem Closter Frenswegen und auff der Burg zu Northorn Publico et Privato.

So viel aber den andern Hauptpunkt, nemlich das Exercitium Religionis angehendt ist, demnach wir vermög des Instrumenti Pacis gleichfalls auff die Observantz des 1624. Jahrs alleinig unser Absehen zu richten gehabt, alß haben wir ebenmäßig die dieseralben vorgekommenen Beweisthumben alleß angelegnen Fleiß respective anzuhören, durchzusehen und darauß unß gründlichen zu informiren nicht unterlassen.

Müssen zu forderist nothwendig erachten, alhier kürzlich undt allein zu besserm Verstandt und Begrieff desjenigen, waß deß exercitii halben gemeldet werden soll, anzufügen, daß, weilen

mehrgemeltes Closter Frenedeswegen auff den Frontiren des Statistischen Gebiets in den Niederlanden fast ahn der Twente im offenen Felde gelegen undt dannenhero vielen schwerlichen Kriegsüberfellen, insonderheit bey den Spanisch-Holländischen, auch hernacher beim Herzog Christians von Braunsweig und dan continuirlich bey dem Kayserl. undt Schwedischen Kriegsläuffen exponirt undt unterworfen, die aldorth in zimlicher Anzahl sich befindende Geistliche genöthiget worden, zu mehrerer ihrer Versicherung undt die zum öffteren außgestandene Plünderungen zu entfliehen, sich in die negstgelegene Bentheimsche Stadt Northorn in einen zu dem Endt von weiland Herrn Arnoldt Graffen zu Bentheimb anno 1578 gekaufften Grund (die Burg genant) undt darauff gebauwete Behausung zu verfügen¹⁾, maessen geschehen undt die Geistliche sich ins gesambt dorthin transferirt undt aldorten mehrenteils verstorben, doch jeweilen andere gefolget, alß in specie N. Kemner, welcher in annis . . . a), wie auß Rechnungen zu sehen, aldorten gewesen undt allezeit biß zum gegenwertiger Stundt, wie oben gedacht, nachfölglich verharret seyn, jedoch solcher Gestalt, daß sie in dem Closter Frenedeswegen jederzeit ihre Familiam gehabt, daselbst auß undt eingangen, Ihres Gefallens darin, wie auch mit dessen gehörigen Gütern gehauset, geschaltet und gewaltet, nicht weniger zu der Kirchen die Schlüssel gehabt, dieselbe nach Belieben auff und zu gesperret, geistliche verstorbene Mans- und Weibsbilder, alß neben andern Ordensleuthen den Priorem Fabritium anno 1611, Schwester Lücke anno 1622, Schwester Wendell anno 1624 undt in demselben Jahr zween Reuter darinne begraben undt also actus continuo possessorios in specie 1624 dergestalt exercirt haben, daß so woll des Closters alß der Burg sich sonsten niemand anders angemasset oder darin einiger Verwaltung, Regierung, Diensten sich unterfangen alß allein diejenige, so obengedachter Maaßen Nahmens deß Ordinis Canonorum Regularium sich alldorten befunden, die sonsten die Behausung zu Northorn allein alß ein Domum Refugii um Sicherheit willen bewohnet haben.

Diesem [!] also vorangedeutet, haben wir für erst in sattsamer Kundschaft gebracht, daß im Jahr 1624 in gem. Northorn auf der Burg in einem darzu bequemen großem Saal hinter der Küchen ein Altar mit seinen gehörigen Zierath, auch Meßgewandt,

a) Die Zahl fehlt.

¹⁾ Vgl. S. 221 Anm. 1.

Kelche, Meßbuch undt andere Paramenten vorhanden gewesen, warauff in eben selbigen Jahr das Exercitium Catholicae Religionis mit Meßlesen, Beichthören, Communiciren undt andern Catholischen Ceremonien geübt worden undt zwar öffentlich mit offenen Thüren nach vorgangem Geleuth, mit einer Schellen oder Klöcklein undt dergestalt, daß einem jeden dahmals freygestanden, zu solchem Catholischen Gottesdienst zu erscheinen, wer nur gewollt hat, auch unterschiedliche, so wohl Auß- als Eingesessene undt nicht allein die zu der Zeit in Northorn befindliche Catholische Soldaten darzu erschienen seind, maessen auch sothaner Gottesdienst nicht allein für die Soldaten oder von den Regiments Priestern, welche sie bey sich gehabt, sondern mehrmahlen vom Patre Joanne Wasserio, welcher von dem Generale Ordinis zu Manutention des Closters Besizes im vorgehenden Jahr 1623 nachher Northorn ohne einige Dependenz oder Respect gegen die Soldatesca abgefertiget, oder in dessen Abwesen von andern auff Berueffung des Procuratoris Dietermans alß H. Roberto Bohm von Othmarsen undt Herrn Arnold Bohm von Wietmärschen daselbsten verrichtet undt diese sambt Ihren Meßdienern von dem Procuratore belohnet worden, dergestalt, daß wir in keinen Zweifel ziehen können, daß auch hinfüro solch Exercitium vermög Instrumenti Pacis zu Northorn auff der Burg ohngehindert zu lassen undt die Religiosi darin nicht zu turbiren seyn. Wie dan nicht weniger wir dafür halten müssen, daß, soviel das Publicum Exercitium in der Closter Kirchen zu Frenswegen betrifft, weilen die Geistlichen auß ihrem Closter anderer Gestalt nicht alß nur ad locum tutiorem, mit nichten aber animo deserendi Monasterium in die Stadt gewichen, im Closter aber stets ihre Familiam (soviel Unsicherheit halber seyn können) undt damit wie auch andern obspecificirten Actibus die Possession pure et private ohne einige der H. H. Graffen Einrede continuirt, inmiddels nicht allein ihre verstorbene Geistliche nach und nach, sondern in specie anno 1624 zween Catholischen Reutere mit Catholischen Ceremonien, auch ebener Gestalt eine Ordinis Professam, Sororem Wendel im selbigen 1624. Jahr daselbst hie begraben haben undt dan das Instrumentum Pacis hier einfals auff die Possessionem gehet, nuhn aber die Residenz zu Northorn intuitu deß Closters Frenswegen besessen haben, die Exercitia auch zu Northorn in der Stadt anderß nicht als velut Conventuales in Frenswegen verrichtet, deß Closters aber sich sonst niemandt auß der Geistlichen angemasset, undt sie ja

viel mehr befuegt gewesen, in ihrem Closter ihre Divina zu halten alß auff der Burg zu Northorn, sintemahlen notorium, daß deß Ordens Leuthe in einer Municipal Stadt eines Evangelischen Landesherrn, soviel die Exercitia Catholica betrifft, weniger alß in ihrem zu Feldt gelegenen Closter gestattet oder zugelassen wird, daß dieserthalben künfftig den Geistlichen im Closter so wenig, ja viel weniger alß auf der Burg das Exercitium könne gesperrt oder verboten werden.

Undt würden ohne Zweifel gahr viele Exempla beygebracht werden, gestalt verschiedene Geistliche bey diesen gefährlichen Kriegsläuffen sich etwah zu ihrer mehrerer Securitet in andern benachbarte Evangelische Städte begeben undt Ihre Closter woll vor, in und nach dem Jahr 1624 öd undt wüst haben stehen lassen müssen undt weder in denselben noch in den Städten, wohin sie geflogen, einige Exercitia halten können oder dörfen, gleichwol, weil sie anderwertig deren Possession behauptet, nach itzt geschlossenen Frieden dieselbige mit dem Ihrigen wiederumb angetretten undt darin ihre gewöhnliche Exercitia ohn mennichliches Einreden oder Hindernuß verrichten.

Welches dan a potiori bey denen Fren-deswegern Platz finden muß, welche im Jahr 1624 vermittels ihre Familie undt Haußhaltung im Closter verharret undt auch in der Kirchen saltem einige Actus mit Begrabung der Verstorbenen auf Catholischer Manier im selbigen Jahr verrichtet haben, worüber guten Theils gehörten Zeugen testiren, diejenige aber, so sich der Unwissenheit halber entschuldigen, nichts probiren thun, wie dan ebenfalls unsers Dafürhaltens außer Acht zu lassen, waß von unterschiedlichen ahn Gräfl. Bentheimbscher Seithen producirten Zeugen gemeldet, daß sie von keinem Catholischen Gottesdienst, so auff der Burg anno 1624 gehalten seyn solle, Wissenschaft trügen, weilen dieselbe alß gute Reformirte sich darumb nicht hoch bekümmert, dahingegen die Catholischen guten Theils bezeugen, daß sie selbst zu mehrmalen ohne einiges Menschen Einrede, Sperr- oder Hinderung demselben beygewohnt und theils dasselbst gebeichtet, zur Meß gedienet undt andere gottselige Catholische Übungen verrichtet oder zu verrichten geholfen haben. Und alleß dieß ist hauptsächlich, welches Ew. Hochfürstl. Gnaden von der Possession undt Exercitio Catholicae Religionis so wohl deß Closters Fren-deswegen alß die Burg zu Northorn betreffend wir in Unterthänigkeit referiren sollen.

A. Adami m. p. Johann Bock L.

1651.

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis amen. Nos Adolphus Kousen, canonicae beatae Mariae virginis in Novesio prior et capituli Windesemensis ordinis canonicorum regularium s. Augustini per superiorem Germaniam commissarius, auctoritate reverendissimi patris generalis Joannis Bernardi visitantes domum seu canonicam colligationis nostrae Windesemensis dictam Nemoris beatae Mariae in Wrenswegen prope Northorn in comitatu Bentheimense [!] diocoesis Monasteriensis invenimus admodum reverendum dominum priorem Hermannum Raymundi¹⁾ cum duobus sacerdotibus canonicam hanc ordini et catholicae religioni strenue ab insidiantibus vindicantem nec minus diligentem in pascendis ac confortandis verbo Dei et sanctis sacramentis hinc inde superstitibus orthodoxis catholicis, quem reverendum dominum priorem sicut et ceteros patres ad perseverantiam, quae virtutes coronat, concordiam mutuam, qua res parvae crescunt, et caritatem sinceram hortati sumus, et, ne hic mercedem suam quaerant, sed meritorum thesauros in coelis cumulent, ubi non accedet fur vel erugo. Speculum ipsis dedimus magnum illum Nehemiam, qui templum ab Esdra inchoatum instauraturus opus viriliter aggressus est et, licet ab infensa vicina gente Mabitibus et Samaritis aliisque persecutus, spretus, risus et subsannatus sit, ab instituto non destitit, intrepide perrexit, diu noctuque circumibat urbem nunquam defessus aut opere aut durtia victus suos populares consolabatur et confortabat verbis et operibus nec quidquam diligentiae suae in exstruendo et perficiendo aedificio praetermisit. Aedificatores etiam accincti opus faciebant et caementarius quidem non sine gladio erat similiterque qui materiam suggerebat, scuta etiam in promptu erant. Sic venerabilis prior et fratres, praesentes et mittendi, licet obmurmurantem vicinam gentem habeant, qui mallent locum flammis absumptum iri quam ad pristinam fundatorum mentem reduci, in sanctis, piis et legitimis propositis rideantur, subsannentur, propterea non labefactentur animi aut pusillanimes fiant et conatus remittant, sed accincti sanctum hoc opus imperterritae aggrediantur, nec gladius sit de manu, scuta etiam et arma in promptu sint, arma scilicet lucis, galea spes salutis, lorica iustitiae, balteum castitatis. scutum orationis et quicquid aliud ad salutis panopliam spectat, in

¹⁾ 1636—1654.

quem finem cuique sacrum de spiritu sancto legendum iniunximus statum sanctae matris ecclesiae, Romani imperii, capituli nostri, reverendissimum nostrum generalem, patronos huius loci, nos ipsos et iter nostrum precibus et sacrificiis ipsorum recommendant.

Debita huius domus extendunt se ad 1400 imperiales, quos in gravi et flagrante processu contra illustrem comitem Bentheimensem¹⁾ levare coacti sunt.

Et quoniam in hoc lutulento saeculo ambulare vix possimus, quin adhaereat aliquis pulvis pedibus nostris, paucula hic infra posita, quamdiu hic in domo refugii²⁾ morari illos contingit, stricte observanda ordinavimus. Ubi vero per gratiam Dei monasterium repetere poterunt, sit ipsis sacra regula et liber constitutionum capituli Windesemensis, iuxta quas sollennibus se votis adstrinxerunt, pro charta visitationis sufficiens.

Ac inprimis, licet sacrae nostrae constitutiones in domo refugii per omnia aegre servari possint, ordinamus equidem, ut ea, quae commode servare poterunt, non negligenter praetereant, ne exulando ab ipso monasterio a religiosa modestia et vitae suae instituto simul exulasse videantur, et si nullo in loco religiosus disciplinam deserere debeat, diligentius tamen hic inter gentes haeretica pravitate infectas conservanda est, ubi neglecta pluribus generat scandalum negligentibus in maximum vae et custodia bonae imitationis parturit exemplum.

Et quoniam tota vita nostra Deo dicata est nihilque tam hominibus, praesertim religiosis ex instituto suo et obligatione incumbit quam Deum omnipotentem continuo laudare et benedicere, ordinamus, ut horas canonicas pariter in oratorio persolvant, non cursim ac festinanter, sed adeatim et tractim, cum vocis alacritate, mentis elevatione et pausa decenti in medio cuiuslibet versiculi psalmorum idque horis, ordine et temporibus in statutis nostris expressis, vel ut primum signum detur mane ad matutinam hora quarta in aestate, in hieme paulo serius, ad summum sacrum hora nona et ad vespertas et completorium, quae combinari poterunt, hora quarta post prandium, et dum plures erunt praesentes, cantabitur „Te Deum laudamus“, laudes beatae Mariae vespertinae et missa conventualis, cui subiungetur antiphona „Haec est praeclarum vas“ vel alia ad arbitrium admodum reverendi prioris.

¹⁾ Vgl. darüber Richter S. 38 f.

²⁾ Vgl. S. 221 Anm. 1.

Absentes ab horis sine legitima causa venerabilis prior castiget abstractione cibi vel alia poena condigna.

Post horas matutinas, primam vel tertiam pro tempore et vesperi absoluto completorio per quartale ad minimum horae spatium orationi mentali et examini conscientiae vacabunt.

Et cum iuxta regulam tales ubique mores servare debeamus, ut nihil in omnibus motibus nostris fiat, quod cuiusquam offendit aspectum, hoc tamen in templo Dei, ubi divina celebrantur mysteria, studiosius observandum est, quare serio hortamur omnes, ut se conforment capitulo tertio et quarto tertiae partis statutorum¹⁾, qualiter se fratres habere debeant in horis regularibus et missa conventuali, praesertim quoad compositionem membrorum, detectionem capitis, genuflexionem, inclinationem etc.

Oblata, quae a Christifidelibus elargiuntur in oratorio vel postfuturum in templo monasterii, in nullius privatum sacerdotis usum transeant, sed ad commune vel in usum templi impendantur ad dispositionem admodum reverendi prioris.

Frequentem exomologesin peccatorum ament fratres et licet inviti venerabili priori iuxta statuta confiteri non teneantur, noverint equidem id sibi incumbere ad minus in coena Domini circa festum paschale sub poenis transgressionis praecepti ecclesiae, ut priori tamquam proprio pastori vel alteri cum expressa licentia venerabilis prioris confiteantur.

Habitu essentialem ordinis nostri, quod est subtile, etsi in oppido aperte nondum gestant, occultum attamen habeant, ne in laqueum excommunicationis incidant, in altari vero et sacrificio omnino volumus, ut pleno utantur habitu. Ubi vero per Dei gratiam ad monasterium redibunt, integram ordinis reassumant habitum sub poenis a iure latis. Vestes vero, quibus hic in oppido utuntur, sint humiles, religiosae, unius formae et coloris, modestae nec curiosae more saeculi factae. Nullus sibi vestem absque requisito et obtento consensu venerabilis prioris fieri curabit. Nullus inscio venerabili priore alibi materiam a mercatoribus pro vestibus, sicut nec vinum, cerevisiam, pecuniam vel quomodolibet nominari poterit, in fidem venerabilis prioris accipiat, sicut nec honorarias fenestras alibi pingi faciant, quod si factum deprehenditur, canonica haec nullatenus satisfacere obligabitur, sed quilibet sibi necessaria a venerabili priore petat, qui necessitate perspecta dare non differat pro facultate domus, quae poscuntur.

¹⁾ Die Ausgaben der Statuten sind so selten, daß mir keine zugänglich war (vgl. *Acquoy* 1, 206 ff.).

Proprietatis speciem tamquam virus vitae religiosae, lepram animae et sarcinam nimis aggravantem, ne ad superna animus possit erigere, e medio tolli volumus. Si forsán quispiam ex labore manuum pro externis (quem sine praescitu equidem venerabilis prioris suscipere prohibentur) vel aliunde quid pecuniarum aut vestimentorum nactus fuerit, apud venerabilem priorem quantocius deponat. Reum in hoc vitio proprietatis deprehensum venerabilis prior poenis proprietatis coercebit, cuius conscientiam sub obstestatione divini iudicii in hoc oneramus.

Repetimus ex charta praecedente¹⁾, ut venerabilis prior iuxta formam in statutis expressam capitulum culparum servare non negligat, in quo capitulo fratres humiliter sedentes venerabilem priorem pro observantia ordinis dicentem et defectus corrigentem audiant in silentio, nec ullus in capitulo cum venerabili priore disputare, impatienter aut furibunde respondere praesumat sub poena arbitraria iuxta statuta de capitulo culparum §§. 3. et 4.

Amor silentii maxime post coenam et custodia cellae diligentior omnibus commendatur prohibenturque frequens ingressus in culinam, mora ibidem, leves cum familia fabulae, cachinni, risus et sermones prolixi, qui plus destruunt quam aedificant et animam angustiis exponunt. Non sint molesti fratres cocis quaerendo, quid coquatur, aut ipsis praescribant, quomodo coquere et laute ad gulam cibos parare debeant, *non est enim regnum Dei esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in spiritu sancto*²⁾. *Esca ventri et venter escis: Deus autem et hunc et has destruet*³⁾. Nullus quoque praesumat furibunde dominari familiae et ab eis in vilipendium venerabilis prioris verbis contumeliosis aut comminatione verberum sibi servitia fieri extorquere. Communia propriis semper anteponant, et si quem de familia degenerem aut negligentem deprehendent, venerabili priori ipsum denuntiabunt illique soli correctionem relinquent, minime vero ullam correctionem in familiam usurpabunt, ubi venerabilis prior ipsemet astat.

Venerabilis prior dum domi abesse cogitur, uni ad arbitrium mandabit inspectionem familiae, nec tunc ullus alius se familiae immiscere debet. Si secus factum fuerit, venerabilis prior domum reversus talem tamquam pacis turbatorem digne puniet.

Repetimus etiam ex praecedente charta, ut nullus sine obtenta licentia portam domus ad oppidum aut campos egrediatur,

¹⁾ *Nicht erhalten.*

²⁾ *Röm. 14, 17.* ³⁾ *1. Kor. 6, 13.*

et si aliquando exspatiandi licentia datur, nullus tamen cauponam aut civium aedem ad bibendum ingrediatur sub poena gravis culpae.

Nullus etiam fratrum praesumat a foris adducere vel invitare hospites ad mensam nisi petita prius et obtenta licentia, et si huic domui hospites aut amici obvenerint, fratres primitus illos non suscipiant et ad interiora introducent, sed denuntientur adventantes venerabili priori, ut ille per se vel, cui tunc iusserit venerabilis prior, introducat. Si alicui ex fratribus hospes aut amicus privatus advenerit, quem reficere et exhilarare conveniens foret, non cum ipso ad aedes plebeias vadat, sed in domo loco competente petat a venerabili priore, quae pro ratione temporis et mediolorum necessaria videbuntur, qui pro honestate nihil deneget. Meminerint tamen fratres studere sobrietati coram hospitibus maxime memores mortis suae civilis huic saeculo, ut doceant operibus laicos se esse crucifixos mundo et mundum eis. Non sint etiam fratres effusi coram hospitibus in verbis indebecentibus et ducem quasi verbi agant, sed venerabili priori semper deferant illumque in debita reverentia habeant iuxta illud regulae: *Honore coram vobis praelatus sit vobis*¹⁾ coram ipso in moribus suis omnem modestiam religiosam ostendant et nunquam verba indecentia proferre, multo minus ipsum coram aliis corrigere vel cum ipso, si quempiam plus iuste forte corripit, proterve contendere coram familia aut aliis praesumant, qualem excessum, ne regendi frangatur autoritas, sub poena gravioris culpae castigari serio mandamus.

Caveant simul etiam fratres in famulum venerabilis prioris, quo pro sua opera utitur, in despectum imperium agere illumque pro suo lubitu vexare et pro sensualitate sua ad sibi serviendum constringere.

Sentiat etiam venerabilis prior maius adiutorium a nonnullis fratribus, quam hactenus factum fuit, nec putent se missos huc esse ad habendos dies ioviales et dissolutionem disciplinae, sed ut erigant una cum venerabili priore antiquas regularis disciplinae ruinas et canonicae religionis deserta reaedificent. Et si aliquando ad invicem vel etiam contra priorem in verba indecentia et iniuriosa erumpunt, non pigeat quantocius ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera, et praeveniant citius venerabilem priorem humiliter rogando veniam excessus, et ante

¹⁾ Reg., Cap. 31.

reconciliationem mutuam nullus altare accedere praesumat suspensusque a celebratione missarum ipso facto sit et maneat usque ad reconciliationem realem et personalem, cum quo discordia vel rixa intercessit.

Tempore refectionis repetatur lectio usque ad signum praesidentis, cessante lectione non effundant se fratres ad sermones noxios, qui rixas et contentiones pariant, nec fiant in mensa obiectiones defectuum et imperfectionum correctiones, quae ad locum capituli culparum reiciantur.

Non permittat venerabilis prior servire ancillas ad mensam, sive soli sint fratres sive adsint hospites, sed potius sibi invicem serviant portando fercula et fundendo pocula. Id ut cum ordine fiat, resumatur iuxta statuta a quolibet hebdomada, qui priori fuerit lector mensae, ut sequenti sit servitor.

In ceteris omnibus, tam quae internam animi pietatem, quam ritus exteriores et corporis compositionem communemque ipsorum et inter se et cum aliis vitam spectant, ita se habeant, ut ubique decentiam et honestatem, Deo, religioni ceterisque hominibus debitam pacem et sanctimoniam observent.

Acta sunt haec anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo 26. Martii.

In quorum omnium fidem et robur haec praefixo sigillo manu propria subscripsimus.

(*Siegel ab.*)

Adolphus Kousen, qui
supra.

4.

1655.

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis amen. Nos frater Theodorus Metzmecher, ordinis canonicorum regularium s. Augustini in Gaesdonck prior¹⁾, una cum reverendo patre Petro Ruttenio, canonicae Udemensis²⁾ eiusdem colligationis priore, collega nostro, ex speciali commissione reverendissimi patris commissarii visitantes canonicam nostram Frenswegianam in comitatu Bentemensi sitam diocoesis Monasteriensis invenimus quatuor patrum congregationem quidem devotam, sed in regularibus

¹⁾ *Er war 1623—1670 Prior, 15 Jahre Kommissar und starb am 5. Oktober 1670 (Scholten, Gaesdonck, Münster 1906, S. 113).*

²⁾ *Üdem im Herzogtum Kleve.*

observantiis non adeo ferventem. Hinc reverendum patrem priorem noviter electum et confirmatum¹⁾ in Domino commonuimus, ut disciplinam iniuria temporum ex parte hic collapsam ardenti zelo et tota mente et spiritus ardore resumat, foveat et moderetur, ne quid ei ex temporis malitia decedat, sed novo hoc officio sui prioratus novis semper incrementis augetur, et ut grex illi commissus in suae conversationis splendore tamquam in lucis speculo eligere possit, quid sequatur et videre, quid corrigat, memor, quod salus subditorum a capitis directione sic dependeat, quod pro eis districtissimam rationem reddere debeat, sic singulos in medio huius pravae nationis constitutus ab omni transgressione custodiat et in via Dei dirigat, ut requisitus dicere possit: *Ecce, quos dedisti mihi, non perdidisti ex eis quemquam*²⁾ quatenus cum filiis Jacob adducendo fratrem suum minimum faciem Joseph veri salvatoris videre mereatur et boni pastoris consequi possit meritum et praemium, in quo ne deficiat, sed sanctificet magis, tria illi pro voto et communi necessitate ecclesiae sacra legenda iniunximus.

Fratres vero paterne quoque ac studiose cohortati sumus, ut status sui sublimitatem in actu, locutione atque intima cordis cogitatione circumspeciant et cum innumerabilium multitudinem ex partibus vicinis Hollandicae iurisdictionis magna devotione dominicis et festivis diebus pro officio divino audiendo accurrere vident, ita ut quandoque templum, area vicinaque loca hominum multitudinem capere vix valeat [!], totos se dent desolatis hominibus pro eorundem solatio ipsis occurrere eorumque salutem quovis modo possibili promovere et curare, ne dicatur: *Parvuli petierunt panem nec erat, qui frangeret eis*³⁾. Quare, ne quovis tempore (quod Deus avertat) inordinata sua conversatione pusillorum animos scandalisent, ab omni malo aut quod speciem mali scandalive occasionem praebere potest, cautissime absterneant, sed magis bona inculpataque vita sua obmutescere faciant imprudentium hominum ignorantiam cogitantes vehementer ecclesiam Dei destruere, si in clericis laici merito quidquam notent aut desiderant nec quemquam in ecclesia Dei magis nocere quam qui perverse agens nomen et ordinem sanctitatis ac sacerdotis habeat. Unde cum hoc novello praelato novo zelo et fervore in novitate spiritus vitam religiosam et monasticam dis-

¹⁾ *Gottfried Bockholt 1655—1671 (gewählt 3. Januar 1655 nach v. C o o t h).*

²⁾ *Joh. 18, 9.*

³⁾ *Thren. 4, 4.*

ciplinam, quam ipse in domo sua reformata professionis non ita pridem edoctus est¹⁾, auspicientur et praeentis sibi prioris vestigia in omni religiosa observantia prompte sequantur, quod ut uberius assequantur, sacrum de spiritu sancto ipsis legendum iniunximus statum sanctae matris ecclesiae, sacri Romani imperii, capituli nostri nosque ipsos et iter nostrum taediosum precibus ac sacrificiis eorum recommendantes.

Status domus est: novellus pater prior cum 4 diversorum conventuum fratribus.

Debita cum creditis collata excedunt debita credita, sed quantum, cum canonica haec procuratorem hactenus non habuerit neque novellus pater prior oeconomiae notitiam pro nunc habet, accurate pro hac vice cognoscere non potuimus.

Charta visitationis bis in anno legenda, scilicet feria 2. paschatis et in festo s. Johannis Baptistae eiusque ordinationes diligenter observandae.

A sanctuario incipientes ordinamus cogniti templum ex ruinis utcumque extractum, vitreis fenestris decenter adornatum, altaria etiam noviter erecta sedilibusque in suo esse et vigore relictis, hinc venerabilem patrem priorem paterne admonitum volumus, ut ora in Dei servitio et laude haeretica pravitate iniuriaque temporum hactenus clausa denuo reseranda, quantum temporis malitia permittat, veluti tubas in Dei laudem et proximi aedificationem exaltantes resonare faciat, idque ut decentius fiat et maiore cum reverentia divinum officium persolvatur peregrinorumque innumerabilium ex partibus haeticorum adventantium^{a)} quatuor vel quinque patres doctos, exemplares et sacrae theologiae illustres de proprio vel aliis conventibus interveniente superiorum consensu ad canonicam suam Frenswegianam immediate post capitulum iam celebrandum avocandos decernimus. Interea reverendus pater prior nullum fratrem ordinis cuiuscumque conventus nisi de speciali licentia reverendissimi patris generalis commissarii pro cohabitatione admittet.

Quandoquidem non sine gravi damno in canonica Frenswegiana et domo refugii in Northorn diversas servari oeconomias reperiamus, hinc venerabili patri priori suademus, si commode

a) *Hier fehlt offenbar etwas.*

¹⁾ *Bockholt war Profeß von Groenendaal bei Brüssel und bei seiner Wahl (vgl. oben S. 249 Anm. 1) Beichtvater in Rheinberg.*

fieri possit, alicui honesto nobili elocata domo refugii uno interim ad tempus ibidem pro continuanda possessione, si aliter fieri non possit, relicto, qui pater supprior esse possit, ad propriam canonicam habitationibus iam accomodatam se recipiat. Patribus vero ex domo refugii ad praenominatam canonicam sic translatis, cum sacer habitus nostri instituti hoc in loco odiosus non sit, imo plurimi sacri habitus suppressionem mirentur, cum personae patrum ex parte illustrissimi domini comitis in Benthem tolerantur et pro religiosis per totam patriam habeantur agnoscanturque, hinc vestium saecularium usum libenter in conventu abrogatum videremus. Quodsi vero aliquis de licentia venerabilis prioris sui egredi necesse habuerit, usum vestium saecularium concedimus retento nihilominus intus subtili, si commodo fieri possit. In quem finem proxima occasione reverendus pater prior patribus suis et habitum choralem et ordinis distributis interim inter patres subtilibus, quorum reverendus pater prior pie memoriae bonam provisionem comparaverat, procurare non omittat.

Supprioris quoque novelli patris Petri Crudenar, quondam rectoris¹⁾, quem ex voto ipsos ad avitam ordinis praxim adducturum speramus, monitis morem gerant, animum piis sacrae scripturae et piorum librorum lectionibus refectum a pulvere rerum mundanarum detersum liberum in Dei amore et sanctis meditationibus, qui se ipsos in Dei et ordinis conservatione semper contineant, exercere satagat eoque adlaboret, ut cum venerabili priore suo uno eodemque spiritu et sensu ac in una eademque concordia dominicum gregem ex animo pascat. In quem finem omnes fratres adhortamur, ut patri suppriori etiam noviter electo iuxta statuta debitam oboedientiam et reverentiam in absentia venerabilis prioris exhibeant.

Potioribus votis electus est in procuratorem pater Johannes Volmarus, qui ad medium vel integrum annum rectoratum suarum sanctimonialium in Alen, donec reverendum patrem priorem de omnibus plenius informaverit, alteri committet, eundem praenominatum rectoratum pro suo beneplacito resumpturus. Interim omnium receptorum et expositorum accuratissimam servabit annotationem ad omnia quoque domus iura tuenda se totum dabit, omnia tamen cum consilio et scitu reverendi patris prioris.

¹⁾ *Rektor von Frenswegen nach dem Tode des Priors v. Raymund (1. Dezember 1654) bis zur Wahl Bockholts (vgl. S. 249 Anm. 1).*

Capitulum culparum cum sit praestantissimum pharmacum quotidianorum excessuum, et illud ipsum hactenus minus observatum fuisse advertentes ordinamus, ut venerabilis prior et ipso absente vel occupato pater supprior, si non singulis septimanis, saltem de quindena in quindenam illud ipsum servare non omittat.

In quantum bellorum turbae permittunt et per commoditatem aedificiorum restaurandorum licuerit, feminas ex ambitu venerabilis prior secludat.

Volumus etiam et mandamus, ut horis et temporibus constitutis silentii accuratior habeatur ratio, maxime in refectorio sub lectione refectoriali et post completorium, ad quam mensam saeculares non facile admittendi sunt.

Volumus etiam, ut abominanda et pessima illa fera proprietas, quae devorat totius religiosae perfectionis substantiam cervicibus nostris ad aeternum exitium insidians, tandem hic proscripta et propulsata maneat Deoque non displiceat votorum nostrorum stulta et infidelis promissio, omnes fratres in visceribus Christi hortamur, ut non, quae sua, sed quae Jhesu Christi quae- rentes omne peculium uti vomitem tartari detestentur. In quem finem singuli pecunias undequaque provenientes ad manus venerabilis prioris resignabunt, qui singulorum in singulas pixides collectas reservabit et in necessarium eorum usum pro sua discretionem elargietur. Pater Johannes Ottonis sacrista omnia etiam oblata colliget, uti etiam pecunias, quae post confessionem dantur, ut usibus templi deserviant, ad manus reverendi patris prioris resignabit.

Avertentes magnum abusum circa festorum celebrationem sacramentorumque administrationem idque ob commixtionem novi et antiqui styli et plerosque ex confinibus Hollandicae iurisdictionis post celebrata festa novi styli adventare cernimus, ad obviandum huiusmodi inconvenientiis, salubriter ordinamus, ut venerabiles patres pro maiore Dei gloria solatioque adventantium antiquo stylo tam in lectione horarum quam festorum celebratione sese accomodent.

Cum diva virgo singularis patrona existat huius canonicae, ordinamus, ut antiphona „Haec est praeclarum vas“ cum versu et collecta post summum sacrum, sive illud cantetur, sive legatur, accensis aliquot cereis ante statuam B. M. V. cantetur, quod et de litaniis Lauretanis cantandis sive legendis post completorium

intelligi volumus. Hoc enim in omnibus monasteriis ordinis nostri divae virgini consecratis fieri cernimus.

Cetera reverendi patris prioris discretioni et prudentiae committimus.

Acta sunt haec in praenominato refugio Northorn 17. et 18. Januarii 1655.

In quorum omnium et singulorum maiorem fidem et robur cum nominum nostrorum subscriptione officiorum nostrorum sigilla adimpressimus.

(Siegel.) Theodorus Metzmecher,
prior in Gaesdonck et
commissarius.

Fr. Petrus Ruttenius,
canonicae s. spiritus
in Udem prior.

5.

1657.

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis amen. Nos Theodorus Metzmecher, canonicae Gaesdunckanae prior et per Germaniam superiorem ordinis sancti Augustini congregationis Windesimensis commissarius, canonicam nostram Frenswegianam diocoesis Monasteriensis in comitatu Benthemensi situatam visitantes invenimus congregationem fratrum exiguam iam ante biennium¹⁾ ex domo refugii sui in Northorn industria moderni reverendi patris ad antiquam sedem suam et domum professionis suae regressam eandemque ex ruinis non mediocriter extraxisse atque ad habitationem accomodasse. Venerabilem patrem priorem licet tempore visitationis domo absentem per literas postmodum et mutuuum congressum, virum bonum et pacificum, admonuimus, ut non minus ad domus suae restorationem ceu Nehemias quidem diligenter animum adiciat, quae praecedentium temporum iniuria ac communi illa clade collapsa sunt in utroque tam spirituali quam temporali aedificio, instaurare contendat, zelum facilitate, facilitatem zelo temperet et, ubi necessarium est, competentem severitatem non negligat. Non enim quaevis facilitas bonitas est nec, quae saepe dicitur bonitas, virtus est exemplo Heli sacerdotis, qui quod suos filios corripuisset quidem, sed id nimis languide et remisse, graviter punitus fuit a Deo.

Fratres quoque in Domino hortati sumus, ut nulla temporum iniquitate deterriti aut defatigati a bono abstineant, sed potius

¹⁾ Also nach der Visitation von 1655 (vgl. S. 250 f.).

fortiori zelo divini amoris ad montem solitudinis religiosae ac quietem orationis ac meditationis sedulo confugiant, absterriti a mundo in maligno constituto Deo et propriae saluti vacent in vera pietate, oboediantia, humilitate, sobrietate, morum honestate ac vestium totaque ordinis nostri disciplina, extravagationes ad civitatem vicinam et cum haereticis, de quibus parva vel nulla spes est, quod convertere eos valeant, conversationem nocivam et indiscretam fugientes bonae suae famae et existimationi consulant, ab omni malo aut, quod speciem mali scandalive occasionem praebere potest, cautissime abstinentes bona inculpata vita sua in medio pravae nationis haereticae obmutescere faciant imprudentium hominum ignorantiam, prudenter cogitando vehementer ecclesiam Dei destruere, si in clericis laici merito quicquam notent aut desiderent, nec quemquam, ut s. Gregorius ait, in ecclesia Dei amplius nocere quam qui perverse agens nomen et ordinem sanctitatis ac sacerdotis habet, et quoniam character sacerdotalis quandam habet aeternitatem sibi a Christo communicatam, hinc vos admonere censet omnia desideria vestri affectus et vota, functionem et ministeria a vobis aeternitati vovenda esse atque cum aeternitati consecrati sitis, aeternitati vivatis, aeternitati laboretis, aeternitatem cogitetis, ad aeternitatem respiretis, in qua supremi et aeterni sacerdotis Christi Jhesu aspectu digni fiatis, quod vobis omnibus ex animo vovemus. Et pro excessibus singulis iniunximus recitare septem psalmos poenitentiales cum litanis, precibus et collectis adiunctis.

Status domus est: reverendus pater prior cum tribus sacerdotibus, uno fratre laico ex canonica s. Martini Lovan. et familia competenti. Pecunias ratione processus contra illustrem dominum comitem Benthemensem¹⁾ levatas pro conservatione monasterii, quae se propemodum ad mille imperiales extendebant, quantum fieri potest, reverendus pater prior extinguere conatus fuit, quibus persolutis debita cum creditis ferme aequalia erunt.

Ordinationes bis in anno legendae et diligenter observandae.

Cum liber anniversarius, in quo debita et obligationes misarum continebantur, sit perditus et forsitan maiora sunt onera quam in praesentiarum fratribus, quantum colligimus, imponere intendimus, saltem ad minimum quisque sacerdotum hebdomadatim pro fundatoribus legat tria sacra, ne peccata populi

²⁾ Vgl. oben S. 227 ff.

comedere videantur, quin potius recogitent, quod quidam vir sanctus praedixit satius esse rodere ossa mortuorum quam vivere de elemosinis, pro quibus non oramus, quare huius intuitu attendentes fratrum paucitatem oneri missarum imparem esse, allaborabit reverendus pater, ut ex confratribus suis de domo professionis vel aliunde adhuc duo sacerdotes advocentur, qui quinque ad tempus conventum repraesentabunt et cantandis vel pro paucitate quotidie conventualiter legendis horis divinis ac celebratione missarum domus oneribus respondebunt. Et licet alias nullo onere essent obligati, ad frequentiora tamen missarum sacrificia sese disponere studeant, iratum divinum numen salutifera illa oblatione mitigaturi.

Cum sacrum vel etiam nullae horae conventualiter cantentur aut legantur, conventuale sacrum saltem quotidie in habitu essentiali ordinis, si temporis iniuria permittat, cantetur. Quodsi nec hoc fieri possit, quod tamen omnibus votis desideramus, saltem ad minimum post lectum sacrum conventuale (cum Frenswegiana domus B. M. V. sit nuncupata) cantetur „Haec est praeclarum vas“ cum versu et collecta et vesperi post completorium accensis luminaribus itidem „Salve regina“ etc.

Ut reverendus pater prior melius spiritualibus intendere valeat, cum tempore unum ex suis constituat procuratorem, quem idoneum iudicaverit, qui iuxta statuta pecuniam undequaque collectam statim ad manus prioris deferat.

Iterum hic repetimus, ut abominanda et pessima illa fera...^{a)}

Repetimus iterato omnino indecens esse et contra omnem religiosae puritatis reputationem, ut monasterii officinas indifferenter mulieres ingrediantur aut domesticis curis et obsequiis praeficiantur, imo pro componendis lectis ad dormitorium vocentur, quod hic fieri advertimus. Et quamvis illud cumprimis abrogatum esse vellemus, tamen quia loci temporisque difficultas nobis obicitur, ne impossibilia quasi stricte nimis praecipere videamur, reverendum patrem priorem serio diligenterque monemus, ut mulieribus mansionem in loco sequestrato a communitate aptet et vel maxime procuret, ne familia pro componendis lectis fratrum ad dormitorium unquam vocentur considerando impossibile esse, ut ignis in sinu gestatus non ardeat, ne haec minus diligenter attendendo seipsum censuris canonicis involvat. Coquinae vero

a) Folgt wörtliche Wiederholung des Abschnittes gegen das Privateigentum aus dem Protokoll von 1655 (oben S. 252).

administrationem alicui virilis sexus commendet omnesque religiosi et saeculares a culina arceantur.

Volumus insuper, ut in posterum reverendus pater prior capitulum culparum hactenus intermissum iuxta praescriptum statutorum vel saltem ad minimum de quindena in quindenam servet, quod religiosarum observationum est quasi calcar seu stimulus et leviuscularum transgressionum purgatorium.

Reverendus pater prior curet finaliter, ut in prandio et coena in principio refectionis ad signum praesidis modicum legatur et in fine, servato tamen intermedio illo tempore silentio, lectio resumatur.

Et quod hanc visitationem ob pericula viarum solus peragere sine collega coactus fuerim, communicato scrutinio cum reverendissimo patre commissario generali placuit ipsi pro maiore fide et robore praesentem chartam una mecum nominis subscriptione et sigilli officii adimpressionem communire.

Cetera discretioni et prudentiae venerabilis prioris commendamus.

Acta sunt haec in canonica Frenswegiana 27. Augusti 1657 et ordinata in praefata canonica 9. Maii praefati anni.

(Siegel.)

(Siegel.)

Fr. Jocquet, prior
Rub. Vallis¹⁾ et commissarius
generalis.

F. Theodorus Metzmecher,
prior et commissarius
qui supra.

6.

1661.

In nomine Domini amen. Nos Petrus a sancto Trudone, canonicorum regularium s. Augustini capituli Windesemensis per utramque Germaniam generalis²⁾, et Theodorus Mesmecher, eiusdem congregationis per Germaniam superiorem commissarius et prior Gaesdoncanus, autoritate nostra visitantes monasterium beatae Mariae in Nemore in Frenswegen apud Northorniam invenimus ibidem virum admodum reverendum priorem cum quatuor sacerdotibus religiosiis pro facultate sua populo catholico ex vicinis locis concurrenti sancta sacramenta et Dei verbum subministrantibus. Cum vero antea ad aures nostras perlata fuissent

¹⁾ Vgl. S. 215 Anm. 3.

²⁾ Prior von St. Martin in Löwen, 1658—1674 General (*Acquoy* 3, 320, *Schmitz-Kallenberg im Hist. Jahrbuche* 36, 603).

diversa cum dicta tum scripta etiam nonnulla famam concernentia, omnibus diligenter perlatis et examinatis auditisque etiam nonnullorum extraneorum testimoniis invenimus etiam multa falsa (quo spiritu nescimus) per patriam sparsa et suspicione, passione odioque exorta, conficta atque in peiorem partem interpretata. Unde remedium salubre adhibere volentes, cum ora loquentium iniqua obstruere nequeamus, saltem laborandum censuimus, ut lapis offensionis et petra scandali saltem accepti auferri posset et, quae religionis sunt, imperturbate observari statuente

in primis, quae in praecedenti charta et ordinatione nostra Arenana¹⁾ 1660. 8. Junii²⁾ de divino officio et aliis religiosae vitae institutis ordinata fuerunt, melius observari volumus.

2. Pater Alexander Perchenbosch creatur dispensator secundum praescriptum statutorum.

3. Assumi volumus alium adhuc famulum, qui loco ancillarum coco subserviat in culina.

4. Ancillae autem ex culina et interiorum locorum introitu prorsus arceantur clauso inter domum cespitem et cubicula ipsarum ibidemque per fenestram aut foramen cibus, potus aliaque necessaria tradantur et recipiantur per famulum aut dispensatorem.

5. Similiter lintea lota ad tabulatum suspendenda et siccanda ferantur et suspendantur per famulum, non per lotrices.

6. Extraneae quoque feminae ad officium catholicum venientes ab ambitu, quantum fieri potest, arceantur.

7. Cum autem dictante hospitalitatis aut humanitatis charitate tractandae sunt, permittimus, ut in aula maiori cum viris aut maritis tractari possint, frugaliter tamen et modeste, usque dum alius ipsis locus sit aptatus.

8. Fratres, cum ambulandi facultas datur, extra septa monasterii non nisi bini aut terni exspatiantur seque piis continuo exercitiis tanto cautius et diligentius exerceant, quanto curiosius ab inimicis observantur.

9. Exercitia divina pro catholicis Tubantibus secundum antiquum stylum fieri non inhibemus, etsi pro aliis secundum novum fiat.

10. Cum certo constiterit ex delatione habitus canonici regularis non oriturum inconveniens, eum assumi et saltem intra monasterium portari volumus, praesertim in divinis officiis.

¹⁾ *Aus Sand.*

²⁾ *Nicht erhalten.*

11. Reverendo admodum priori prohibemus, ne circumvallationem aut exclusionem pratorum hactenus communiter depastorum fieri procuret, sed usque ad consensum nostrum praehabitu differat.

12. Litem inter dominum Nyton et dominum priorem¹⁾ etiam praecisam volumus aut amicabili compositione terminari.

Cetera venerabili admodum domino priori committimus in Domino adhortantes, ut omnia secundum statuta peragat et peragi curet. In quorum fidem ac robur has manuum nostrarum subscriptione et sigillorum nostrorum affixione munivimus. Anno Domini 1661. 2. Julii.

(Siegel.)

Fr. Petrus a sancto Trudone, qui supra, generalis.

(Siegel.)

Fr. Theodorus Metzmecher prior, qui supra.

7.

1663.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis amen. Nos Petrus a sancto Trudone, canonicorum regularium s. Augustini capituli Windesemensis per utramque Germaniam generalis et prior Thronianus²⁾ ad sanctum Martinum Lovanii, Leonardus van Bergh, Dumi Mariani Endoviensis³⁾ prior et praefati capituli Windesemensis secretarius, et Joannes Adriani, canonicae sancti Bartholomaei in Sulsta⁴⁾ praepositus, autoritate nostra et capituli praefati visitantes monasterium beatae Mariae in Frenswegen etc. invenimus ibidem congregationem religiosorum fratrum in Domino nobis placentem et catholicorum vicinorum ad idem divinorum causa confluentium saluti pro posse ac debito sedulo invigilantem. Maiori autem fructui, fidei catholicae et sacrae religioni abundantius prospectum cupientes reverendum admodum dominum priorem fraterne adhortati sumus, ut . . .

Fratres similiter paterne ac serio monuimus, ut in medio acatholicae professionis sectatorum constituti memores sint sancti Petri instructionis epistola prima capitulo secundo . . .

¹⁾ Darüber ist sonst nichts bekannt.

²⁾ Seit der Vereinigung mit Marientroon hieß das Stift „Thronus b. Mariae ad s. Martinum“ (Acquoy 3, 153).

³⁾ Marienhage bei Eindhoven in Nordbrabant (ebd. S. 80 ff.).

⁴⁾ Sülte bei Hildesheim (ebd. S. 105 ff.).

Status domus erat: venerabilis dominus prior cum quatuor sacerdotibus professis, uno novitio, uno candidato et familia competente, debita respectu creditorum exigua.

Ordinationes bis in anno legendae
et observandae.

Inprimis, ex quo numerus conventualium adhuc sit exiguus, permittimus, ut horae canonicae legantur sed unisona, cantuali ac morosiore voce cum plena pausa in medio versiculorum, cavendo etiam, ne unus chorus incipiat, nisi alter ultimam syllabam perfecte absolverit.

Matutinae fiant ad medium quintae, quibus consequenter adiungi possunt prima et tertia, sed sexta et nona immediate ante summum sacrum fiant idque dominicis et festis duplicibus cantari volumus, cetero legi permittimus.

Vesperae fiant ad medium quartae, coena fiat hora sexta et post coenam completorium cum antiphona beatae Mariae virginis semper cantanda. Post primam meditatio ad minus per mediam horam et similiter post completorium aut saltem aliqua recollectio.

Caveant etiam conventuales culinam intrare, ex qua etiam extraneos uti ex refectorio, calefactorio ceterisque claustralibus locis excludi volumus.

Ab omni familiaritate cum saecularibus omnes abstineant ac piis exercitiis sese totaliter occupare studeant.

Sine speciali licentia nemo extra monasterium exeat neque bibat aut comedat, praesertim apud haereticos idque non nisi ex gravi causa.

Silentium more aliorum monasteriorum ac praesertim tempore refectionis et a completorio usque post tertiam sequentis diei strictius servetur.

Procurator elapso anno computum exactum reddat ac statum domus declaret sub poena absolutionis, quem etiam in concionando post tres menses vices suas subire volumus.

Ancillae ceteraeque feminae ab interioribus monasterii locis ac nominatim e culina quantocius arceantur.

Cum habitus religiosus absque ulla offensione aut incommodo gestari posse videatur, volumus, ut illum omnes continuo intra monasterium gestent.

Denique venerabili domino priori prohibemus, ne plures adolescentes ad religionem recipiat nisi praehabito expresso nostro aut capituli nostri generalis consensu.

Cetera admodum reverendi domini prioris discretioni commitimus commendantes, ut omnia secundum regulam et statuta peragat peragique curet.

In quorum fidem ac robur has manibus nostris subscripsimus et officiorum nostrorum sigillis munivimus. Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio vigesima prima mensis Aprilis.

(Siegel.) Fr. Petrus a sancto Trudone, qui supra, generalis.
Fr. Leonardus van Bergh.

(Siegel.) Fr. Joannes Adriani, qui supra.

8.

1670.

Nos Guilhelmus Milesen, canonicorum regularium ordinis s. Augustini capituli Windesemensis per Germaniam inferiorem, et Matthias Schu, eiusdem capituli per superiorem Germaniam commissarii et canonicarum agoniae Christi Tungris¹⁾ et compassionis b. Mariae virginis in Everhardi Clusa²⁾ respective priores, tum ex commissione speciali reverendissimi patris generalis, tum etiam nostra ordinaria visitantes canonicam colligationis nostrae in Nemore b. Mariae virginis in Frenswegen comitatus Benthemensis et diocoesis Monasteriensis invenimus ibidem reverendum admodum patrem priorem una cum sibi commisso grege, numero quidem exiguo, verum bene nobis in Domino complacentem.

Monuimus insuper admodum reverendum patrem priorem, ut secundum suum zelum, prudentiam singularem ac suavem modum regendi animas sibi concreditas . . .

Confratres nobis in Christo summe dilectos similiter monuimus et serio adhortati sumus, ut, quandoquidem in hoc sacro loco constituti et maxime inter orthodoxae religionis adversarios . . .

Status domus est: reverendus admodum pater prior cum quatuor sacerdotibus praesentibus, duobus absentibus, uno subdiacono et uno converso cum familia competenti. Debita cum creditis compensantur.

¹⁾ *Acquoy* 3, 88 f.

²⁾ *Eberhardsklausen bei Trier (ebd. S. 149 ff.)*.

Ordinationes bis in anno tempore in statutis praefixo¹⁾ non tantum legendae, verum magis observandae.

Imprimis, quoniam diutius domus haec suppriori carere non potuit et ante nostrum adventum in suppriori ordinatus sit venerabilis pater Johannes Fronhoven, tamen ad maiorem pacis et charitatis mutuae conciliandae promotionem et continuationem libera de novo permissa est electio eiusdem. Collectis votis in unum idem de novo communibus votis electus est in suppriori, quem quoque nostra auctoritate confirmamus mandantes, ut eidem omnes absente priore oboedientiam exhibeant sive in choro, sive in capitulo, sive in refectorio, sive alibi sicuti priori, et similiter in absentia prioris omnes officarii ad eum referant, si quid causae in ministerio cuiquam emergerit, et eius praecepto oboediant sicut prioris, et hic cum suo priore uno eodemque sensu et spiritu ac una eademque concordia dominicum gregem ex animo pascat.

Quoniam admodum reverendus pater prior omnibus externis officiis ob suam infirmitatem et senium satisfacere non potest, electus est similiter sanioribus votis in procuratorem huius domus pater Guilhelmus Lageman, ut in solatium reverendi patris prioris ei adiutorio sit ab eoque instructionem domus addiscat et totaliter dependeat. Hic si a venerabili patre priore aliquam summam pecuniae acceperit in quotidianos usus vel ecclesiae, vel familiae insumendam tamquam dispensator fidelis, reddat de ea rationem priori, et quoties requisitus fuerit ab eodem, rationem de singulis sibi commissis reddat et de statu domus et familiae saepius cum ipso conferre non negligat. Constituimus eundem insuper non absoluto procuratorem, sed magis dispensatorem, qui quoque cellam et cubiculum suum non alibi, sed in dormitorio habeat.

Ordinamus similiter et permittimus, ut omnes, qui modo sunt sacerdotes, habeant in omnibus tractatibus vocem capitularem eisque status domus in temporalibus innotescat. Casu, quo Dominus Deus secundum suum divinum beneplacitum aliter disposuerit et mutationem fecerit, omnes hi huius canonicae in temporalibus aliquam certam cognitionem et statum habeant et sciant.

Cum indecorum et similiter contra sacros canones sit intra clausuram religiosorum feminas admittere et maxime in culina

¹⁾ Vgl. oben S. 250.

et aliis locis regularibus ob multas absurditates et inconvenientia, hinc autoritate nostra et etiam capituli nostri generalis mandamus et volumus, ut omnes ancillae et feminae e culina et locis regularibus amoveantur eisque locus aut domus separata aedificetur, ubi tum lacticiniis, tum etiam lineis vestibus lavandis et plicandis operam dent, et quam primum obstruantur omnia ostia, ad quae patet ingressus ad culinam ancillis aut feminis, desuper obligantes conscientiam venerabilis patris prioris et omnium officialium, similiter inhibentes, ne religiosi huius domus easdem visitent aut tempus inutiliter cum eis insumant.

Quantum ad divinum officium attinet, volumus et hisce mandamus et ordinamus, quatenus semper „Te Deum laudamus“ sollenniter alternative cum organo cantetur et similiter diebus ferialibus et per hebdomadam summum sacrum, curabitque venerabilis pater prior, ut pro infirmaria aptetur locus conveniens casu quo, quod Deus avertat, contagio in hanc domum irrepserit, malum hoc ulterius serpere non possit. Et pro maiori commoditate tum confessariorum, tum poenitentium in ecclesia construantur ad minimum duae sedes confessionales.

Prohibemus similiter, dum fratres aut fratres exterius constituti et emissi redeunt domum, non in culina, sed in refectorio sumant portionem eis debitam, et pater supprior post completorium claudat dormitorium.

Quicquid datur patribus sive in confessionali sede sive aliunde, quatenus abominabile vitium proprietatis de medio tollatur, resignetur in manus venerabilis patris prioris aut supprioris, ut indigentes eadem non in inutiles et superflues, sed in necessarios usus insumant, et casu, quo necessarium sit scribere litteras, sive ad superiores ordinis sive alibi, venerabilis prior ad tollendam proprietatem easdem solvat.

Ceterum, quia non sufficit leges condere et recondere, si non observentur, hinc hisce obligamus conscientiam venerabilis patris prioris, ut earundem tam in se, quam in sibi commissis sit diligens et fidelis executor et gregem familiamque sibi commissam verbo et exemplo aedificet et confortet in omnibus. Econtra protestamur nos infrascripti nos in hac parte officio nostro non defuisse, sed omnes ordinationes has statutis nostris conformes et observatione faciles non tantum legendas, sed et observandas absque ulla tergiversatione esse.

Cetera venerabilis prioris zelo, prudentiae singulari corrigenda et emendanda commisimus, ne opus sit semper expec-

tare adventum visitorum, quoniam domus haec longe distat, ut ipse secundum statuta excessus et defectus suorum corrigat et puniat, quoniam praelatus zelosus et diligens est quotidianus visitor.

Adhaec commendamus omnibus statum s. Romanae ecclesiae, Romani imperii, illustrissimum principem et episcopum Monasteriensem, excellentissimum comitem Benthemensem, capitulum nostrum, nos et iter nostrum omnium confratrum precibus.

Acta sunt haec 28. et 29. Julii 1670. In quorum fidem hasce praeter manus subscriptionem sigillo officii communivimus.

Fr. Guilielmus Milesen,
qui supra.
(Siegel.)

Fr. Matthias Schu,
qui supra.
(Siegel.)

9.

1671.

In nomine ss. et individuae Trinitatis amen. Anno a nativitate Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo primo mensis Aprilis die decima sexta comparuit coram me, notario publico, et testibus infrascriptis reverendissimus dominus dominus Petrus a sancto Trudone, canonicorum regularium sancti Augustini congregationis Windesemensis per utramque Germaniam prior superior seu generalis, una cum assumpto sibi collega reverendo admodum domino domino Hermanno Soly, priore monasterii beatae Mariae in Viridi Valle in Silva Zoniae¹⁾ etc., inquam in monasterio b. Mariae in Frenswegen eiusdem praefati ordinis et congregationis Windesemensis in diocesi Monasteriensi et comitatu Benthemensi sito, ad quod quidem praefatus dominus generalis se ex Brabantia advenisse declaravit eo, quod ex urbe Roma intellexisset ibidem sacrae eminentissimorum dominorum dominorum cardinalium congregationi nomine excellentissimi comitis de Benthem²⁾ oblatum fuisse libellum supplicem, quo petatum fuit dari decretum ab eadem sacra congregatione, vigore cuius canonici regulares a praefato monasterio Frenswegiano

¹⁾ *Groenendaal in Sonienbosch bei Brüssel (Acquoy 3, 14).*

²⁾ *Es handelt sich um den 1667 katholisch gewordenen Grafen Ernst Wilhelm (1643—1693).*

eicerentur, missionarii aut alii immitterentur praetensis causis, quod canonici isti regulares ibidem irregulariter, fraudulose ac mixtim cum mulieribus habitarent, chorum ac divina officia aut non aut non debito servarent, sacramenta poenitentiae ac eucharistiae ceteraque pastoralia vicinis catholicis aut recenter conversis non administrarent, non administrare vellent. Quas praetensas causas etsi primo adventu non subesse easque non nisi meras calumnias esse viderit, et per mille testes, si opus foret, probari posset, nihilominus praefatus dominus generalis convocatis me notario et testibus infrascriptis, praesentibus eiusdem praefati monasterii priore ac conventualibus instituta more ordinis visitatione abundantius constare et probari voluit. Unde in primis in virtute sanctae oboedientiae omnes adiuravit, ut, si quae in reverendo admodum priore aut cunctis fratribus emendatione digna aut ad commune monasterii bonum, maxime autem quoad conversationem religiosorum tam in quam extra monasterium, vitae regularis observantiam, administrationem sacramentorum etc. spectantia sibi candido declararent ac edicerent.

Deinde itum est ad templum inspectaque venerabilis eucharistiae pixide eiusque tabernaculo, sacro oleo ceterisque pro eorum custodia ac domus Dei decore, locis, altaribus etc. omnia bona ac nitide composita invenit et approbavit.

Convocatis postmodum particulariter ad se singulis religiosis stricte eos in omnibus examinavit invenitque fere regulae et statutis conformia observari nec quidquam notatu dignum contrarium, et si quid antea contrarium contigerit, debite emendatum.

Hisce non contentus per notarium et testes vicinos dominos pastores ac missionarios, viros nobiles aliosque fide dignos convenire fecit et testimonia ipsorum legitime requiri, qui absque ulla contradictione, imo et sponte praeclara de conversatione religiosorum et administratione sacramentorum testimonia dederunt testantes canonicos regulares Frenswegianos non irregulariter, sed exemplariter ac religiose vivere hactenusque vixisse non solum domi, sed et foris, bonae famae odore redolere semperque redoluisse, non mixtim cum mulieribus, sed non solum ab ipsarum, sed etiam ab omni aliorum quorumcumque saecularium conversatione habitasse et habitare, sacramenta poenitentiae et eucharistiae et alia pastoralia ex speciali licentia illustrissimorum ordinariorum tam intra quam extra monasterium catholicis dudum administrasse nec unquam cessasse et modo adhuc administrare, singulis diebus dominicis ac festis ultra praefata conci-

onem, summum sacrum sollemniter etiam cum organo ac bina vice cathegismum ante et post meridiem haberi ac fieri, et similiter praefata exercitia in civitate vicina Northorn et alia Nienhusen per ipsos fieri seseque ferventissimos pro salute proximorum ministros zeloque animarum inflammatos ostendere cum catholicorum omnium satisfactione et applausu et haereticorum invidia.

Nihilominus pro maiori disciplinae regularis vigore et exactiori sacramentorum administratione has pauculas ordinationes praescripsit.

In primis ordinationes praecedenti anno in visitatione per reverendos admodum dominos commissarios provinciales facta in viridi observantia manere iussit.

Secundo quia maioris momenti et fructus sunt administratio sacramentorum poenitentiae et eucharistiae, conciones et cathecismi quam statuto tempore horarum canonicarum persolutio, voluit, ut, quando est maior populi concursus, horae canonicae ita praeveniantur, ut sufficiens sit tempus pro concione, cathecismis et sacramentorum administratione et summo sacro pro populi satisfactione et devotione sollenniter cantando.

Tertio ut in administratione sacramentorum ritualibus seu agendis diocesis Monasteriensis utantur seseque exacte conforment novissimae constitutioni sanctissimi domini nostri Clementis papae decimi, qua regularium privilegia quoad praedicationem verbi Dei et sacramenti [!] poenitentiae declarantur iussu celsissimi ac reverendissimi principis ac domini episcopi Monasteriensis etc. in synodo episcopali decima quarta Octobris 1670. Monasterii habita publicatae.

Quarto si in administratione sacramentorum dubium aliquod occurrerit, praesertim circa matrimonium et baptismum, cum ex diversis locis ad ipsos catholici confluent, in quorum aliis sunt missionarii seu pastores, in aliis non, ad celsissimum principem Monasteriensem aut eius vicarium semper recurrant.

Quinto cum habitus candidus canonicorum regularium haereticis nimium sit invitus illique ubique in comitatu et numero et auctoritate praevaleant, permittimus, ut, dum extra monasterium ad sacramenta in aliis locis administranda aut ad alia negotia religiosos exire oportet, nigra tunica regularem candidam vestem tegere possint, sic tamen, ut a viris prudentibus, cuius sint instituti, valeant dignosci.

Denique quos secum adduxerat religiosos sacerdotes, iisdem Frenswegianis adiunxit eosque tamquam fratres haberi et tractari voluit plures missurus, cum opus fuerit.

Cetera venerabilis domini prioris prudentiae et zelo commisit, ut omnia secundum statuta peragat et a suis peragi curet.

Denique reverendissimus dominus generalis praefatus omnes conventuales denuo convocatos gravi admonitione exhortatus fuit ad exemplaris vitae normam, ut iam catholici intuentes magis in fide roborentur ac haeretici confundantur, statum s. Romanae ecclesiae ac s. Romani imperii, celsissimum principem Monasteriensem, excellentissimum comitem Benthemensem, seipsum et congregationem Windesemensem omnium precibus commendans.

Acta sunt haec in praefato monasterio Frenswegiano atque ad maiorem fidem ac robur manibus propriis reverendissimus dominus generalis et praefatus dominus collega ipsius penes me notarium et testes subscripserunt et officiorum suorum sigillis munierunt petentes a me desuper unum aut plura fieri instrumentum seu instrumenta, et erat subscriptum¹⁾.

(L. S.) Fr. Petrus a sancto Trudone, capituli
Windesemensis generalis.

Fr. Hermannus Soly, prior ut supra.

Fr. Henricus Holthausen, prior
Montis orientis vulgo Osterbergen
ord. s. crucis.

Franciscus Wilhelmus Coster,
Ambmannus in Widtmarschen.

Joannes Weddelinck, not. pub.,
m. propria.

Ao 1671.

¹⁾ *Es gelang der Kongregation, die Gefahr abzuwenden, indem sie sich an den Fürstbischof von Münster wandte. Das Stift mußte sich aber folgenden Bedingungen unterwerfen: 1. In monasterio tot sint sacerdotes et religiosi, ut non solum iuxta regulam et statuta ordinis chorus et divinum officium in ecclesia congrue decenterque servari, sed etiam cura animarum ibidem et vicinis locis, prout infra, debite administrari possit. 2. Et quia ab annis restitutionis hucusque observatum fuit non modo non sufficientes esse admissos, sed ex aliis ordinis monasteriis huc nunc vocatos esse, personae habiles et, quam utilissime fieri poterit, e dioecesi Monasteriensi ac vicinia in eo numero assumantur, qui oneribus supportandis sufficere videbuntur. 3. Tertio nulla omnino mulier sive intra septa monasterii sive ita prope, ut exin scandalum enasci possit, nunquam habitabit. 4. Curam animarum et pastoraalem non solum adventantibus in Frenswegen, sed etiam uti pastores seu missionarii post impetratam a celsissimo principe episcopo Monasteriensi, domino nostro clementissimo, seu eiusdem vicario generali approbationem et*

10.

1676.

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis amen. Nos Henricus Stecklenus, canonicorum regularium s. Augustini per superiorem Germaniam commissarius et canonicae Petri ac Anthonii in Dalheim prior¹⁾, nec non Henricus Heidmeyr, canonicae s. Meinolphi confessoris in Bodeken prior, potestate nostra ordinaria visitantes canonicam colligationis nostrae Windesheimensis Nemoris sanctae Mariae virginis in Vrenswegen comitatus Bentheimensis et dioecesis Monasteriensis invenimus ibidem reverendum patrem priorem cum congregatione canonicorum numero et religione auctam desuperque nobis plurimum in Domino placentem.

Dominum priorem²⁾ insuper in Domino rogando monuimus, ut quo pede coepit, strenue pergat, quatenus . . .

Fratres insuper nobis ex animo plurimum dilectos in visceribus Jesu Christi monitos volumus, . . .

Status domus Vrenswegianae hic est: reverendissimus pater prior cum 6 sacerdotibus, duobus clericis professis, duobus conversis et 4 novitiis et familia ordinata et competente. Debita cum creditis compensantur.

iurisdictionem in Northorn, Nienhauss, Emblicheim et, si forsan celsitudini suae et eiusdem vicario alibi necessarium fuerit, prompte et rite administrabunt. 5. Nulla bona ad monasterium quomodolibet pertinentia absque praesentibus et consensu celsissimi principis et excellentissimi comitis alienabunt ac simul, ubi et quomodo pecunia de venditis pro nuper (*in der Handschrift steht, wohl als Schreibfehler, puper*) in Tubantia huiusmodi bonis denuo collocata sit, specificè docebunt. 6. Ut autem hoc tanto severius impostorum servari possit, extradant exactam, specificam et accurate descriptam omnium bonorum ac reddituum designationem intra quatuor septimanas ad manus vicarii generalis. 7. Modernus prior (*Bartholomäus Reiners*) monasterii ex causis domino commissario indicatis amovebitur eidemque vir exemplaris, qui et monasterio praeesse et celsissimo principi episcopo, ut decet, oboedire et excellentissimum comitem venerari possit, cum consilio substituetur. 8. Promittent neque priorem neque religiosos coniunctim vel divisim unquam pacta vel confoederationes, multo minus conspirationes cum ceteris statibus, praesertim acatholicis contra excellentissimum comitem inituros aut contracturos, sed rem catholicam, statum, honorem ac bonum excellentissimi comitis quovis loco et tempore pro posse et nosse semper promoturos nec directe vel indirecte contra acturos aut agi passuros. Signatum Coesfeldiae in castro sancti Ludgeri die tertia mensis Septembris 1671. Ex speciali iussu celsitudinis suae Joan. Alpen, vicarius generalis. (*Abschrift in demselben Bande, der die Visitationsprotokolle enthält; vgl. die Einl.*)

¹⁾ *Später, 1677—1683 General (Acquoy 3, 320, Schmitz-Kallenberg im Hist. Jahrbuche 36, 603).*

²⁾ *Johannes v. Vroonhoven 1671—1688.*

Quandoquidem nulla congregatio tam perfecta, in qua non minimi aliquando ex humana fragilitate prorumpent defectus, aliquot ordinationes ad praescriptum statutorum nostrorum ponere vel potius memoriae vestrae obicere volumus pro ulteriore in sancta religione profectu, quas facilius observabitis si aliquoties more consueto capitulariter praelegatis.

1. Quia errores facile corriguntur positis crebris admonitionibus et redargutionibus superiorum, capitulum culparum a reverendissimo Domino priore de quindena in quindenam feria 6. non facile intermittatur, a quo se nemo absentabit nisi legitimo impedimento sit excusatus. In capitulo culpas suas dicent et de defectibus religiosae disciplinae invicem accusent. Iubet s. regula nostra cp. 5. de frat. correct.

2. Ut etiam obices ponantur murmurationibus, quia inde maxima sequitur imperfectio religiosis, si qui indigent, humiliter petant, et, quod petitur necessarium, cum charitate dispensetur. Fratres tamen non excedant in modo postulandi, ut quae pro necessitate petuntur, in superfluitatem degenerent. Fratres non facile permittantur exire nisi causa praedicationis aut alterius spiritualis domesticaeve utilitatis. Si tamen exeundi aliquando concedatur licentia, honesto et non superfluo viatico exhilarentur. Econtra fratres, quae lucri faciunt in pastoratibus vel quae donantur ab amicis, in depositum cedant domino priori vel ex beneplacito eius alteri, ut prior pro rationabili postulatione fratrum dispense, prout cuique utile vel necessarium fore videbit. Sic pessimum vitium proprietatis a religione suaviter eliminabitur. Reg. c. 6. de proprietate.

3. Quoniam frustra corpus fovetur perituum, nisi animus refocilletur aeternum victurus, colloquia indifferentia in refectorio non permittimus. Permissione vero facta loquendi a reverendissimo domino priore aliquando de virtutibus, profectu ordinis, casibus conscientiae vel fidei controversiis conferendum erit more scholae Augustiniana (Possidius in vita s. Augustini), ne, dum indifferenter loquimur, in detractiones, calumnias et huiusmodi mala, etiam inadvertenter, dilabamur. Principium mensae et finis nihilominus pia lectione venerabilis Thomae a Kempis vel alterius devoti scriptoris condat. Alias locis et temporibus constitutis, imprimis post completorium silentium strictissime servetur, quia hoc est fundamentum religionis et *in multiloquio* raro vel nunquam *deest peccatum*¹⁾, s. Jacob. cp. 4. Quia etiam ex

¹⁾ *Prov. 10 19.*

nimia conversatione saecularium saepe mores depravantur religiosorum, statuimus

4. ut nullus posthac saecularium ad commune refectorium postuletur sub quacunque specie sine expresse petita et obtenta licentia prioris. Verum si consanguines suos visitare subinde placeat, admittantur ad cameram hospitem et eodem, qui vocandi sunt, vel a priore vel in ipsius absentia a seniore domus convocentur. Quod dictum est de refectorio, intelligi quoque volumus de culina, quam nec fratribus intrare nec alios eodem convocare permissum est, nisi specialis exigat necessitas vel licentia data conniveat. Feminae ad culinam non admittantur, a quibus scandalum oriri possit infirmis.

5. Porro, ut omni scandalo dato et accepto via praescindatur, quia casto caute agendum est, serio ordinamus, ut nemo fratrum excepto procuratore officinas intret sine speciali licentia, quia, quae quis constituere vult, vel constitui per procuratorem vel alium ex culina expediri possunt. In domo feminarum, ubi pecora asservantur et curantur, supremum regimen vel inspectionem per dominum procuratorem committi volumus matri patris prioris, quae utique monasterio fidelior pro sua prudentia ancillae mandabit, quod proficuum magis videbitur. Haec item habebit curam lintheaminum, lineorum vestimentorum et, quae de hac materia in usu sunt, reddetque tempore opportuno patri procuratori exactam de commissis rationem^a).

6. Vult apostolus omnia ordinate fiant in nobis. Hinc priore absente vel non conspicuo fratres in petendis licentiis recursum habeant ad seniore conventus, qui nunc est pater lector, vel in ipsius absentia sequens sacerdos conventualis, cui imponimus supremam inspectionem disciplinae regularis. Vices etiam tenebit supprioris, usque huic canonicae de certo supprioris provisum fuerit. In absentia prioris vel procuratoris claves ad cellam et alia necessaria apud ipsum deponantur. Pater lector iunioribus, ut ad sacros ordines aliquando cum honore promoveri possint, theologiam moralem praeleget et explicabit. Cui studio applicari poterunt, si visum fuerit domino priori, etiam novitii. Fratresque, si gratia spatiamenti semel iterumque in hebdomada conceditur,

a) *An den Rand ist von derselben Hand geschrieben: Mater prioris inspectionem habebit cum Agnete¹), ita ut Agnes maneat in pristina possessione illique nihil praeiudicetur, modo matri datur debitus respectus.*

¹) *Diese Agnes hieß Rökelose und starb 1692 nach 36jähriger Tätigkeit (Necr.).*

conventualiter exeant et simul revertentes ante vespervas haustum petere possunt. Novitii hanc gratiam postulent a patre instructore. In investitionibus, professionibus, primitiis dominus prior superfluos sumptus non impendat in recreationem neque plures invitet, quam ipse necessarium fore iudicet, ne sub specie hospitalitatis honestae detrimentum faciat suae culinae. Fratres etiam in his vel similibus recreationibus non exorbitent protrahendo potum in seram noctem, sed ad summum hora nona vespertina vel etiam, si domino priori ita placeret, decima singuli se ad quietem componant, ut officio divino postridie non decedant.

7. Instruet diligenter in choralis cantu fratres iuniores reverendus dominus Isaac Christiani, cui non minus oboedire debent quam domino lectori sub poena a patre priore instigenda. Quodsi autem patrem cantorem abesse contigerit, ad minus diebus singulis per mediam horam inter se invicem exercebunt cantum. Hora duodecima meridiana more catholicorum pulsus campanae non negligatur ad salutationem angelicam.

8. Nisi impedimentum ponat lectio cathegetica, diebus dominicis, festivis ac duplicibus volumus devote cantari vespervas et ad cantatum „Te Deum“ usque ad „Patrem immensae maiestatis“ pulsari campanam. Alias si horae legi debent, devote, tractim, univoce cum plena in medio versus pausa legantur, ut cantus et lectio horarum non horrorem, sed gravitatem religiosam et devotionem redoleat.

9. Dominus procurator reverendissimo patri priori, quoties postulatus fuerit, acceptorum et expositorum faciat rationem quotannis in praesentia quorundam ex conventualibus. Quam rationem etiam dominus prior advenientibus visitoribus rite exponet.

10. Quia tempora hactenus perseverant, ut steterunt, in pristinis periculis et iniuriis, ne media canonicae forsitan corriperentur multitudine personarum, mandamus, ut intra tres proximos annos sine scitu et consensu superiorum vel capituli generalis praeter iam admissos nemo tironum admittatur ad investitionem.

Ultimo ut e medio tollantur omnes insolentiae, inoboedientiae, rebelliones, quae cum tempore malo exemplo in laudabilem hanc canonicam irrepere auderent, accuratum oculum habeat dominus prior ad refractarios quoscumque illosque pro quantitate delicti gravius puniat. Hinc etiam serio mandamus, ut firmum constituat carcerem, ut, si, quod absit, huismodi surgerent rebelles et inoboedientes, dicta custodia a communitate arceri et puniri

possint. Ut tandem obstruantur ora loquentium et errores culpabiliter commissi cum tempore sopiantur, dominus Danckers¹⁾ facta prius reconciliatione migrabit in aliam canonicam ibidemque manebit nec revertatur sine scitu nostra vel capituli generalis.

Cetera pro laudabilis status conservatione huius canonicae et ulteriori promotione constituenda relinquimus prudenti zelo et discretioni reverendissimi patris prioris commendantes singulis

¹⁾ *Mit diesem ungeratenen Mitgliede Heinrich Danckers hatte das Stift noch viele Ungelegenheiten. Der ehemalige Prior Vroonhoven äußerte sich 1690 in einem Bericht an den General über ihn folgendermaßen: Quantum recorder, fuit Henricus Danckers hic ad ordinem receptus anno 1665. Missus Lovanium ad novitiatum taliter se gessit, ut magister novitiorum, dominus Augustinus Hujens, ipsum iudicaverit indignum ordine et testimoniales negaverit. Sine illis professus statim aucupem magis quam religiosum egit. Priori duos suos falcones occidit et postea non alio nomine quam den olden reckel eundem nominavit priorem. Sacerdos missus in Nienhaus valde scandolose et luxuriose vixit, uti testantur, quae adhuc solvenda restant tam in Nienhaus in propinis quam in Oldenseel apud Niters in saccharatis. Hinc cerevisiam, laridum, frumenta furatus est. Me priore continuavit in Nienhaus per medium circiter annum. Tam nostra ligna ex diversis silvis quam etiam oblata et emendicata pro sacello Nienhusano sicut siliginem monasterii et equum concessum a rustico vendidit, pecunias luxuriose consumpsit. In principio belli Monasteriensis contra Hollandos finxit se vocatum a vice-colonello Magdonell. Vesperi reversurus hinc concessit equum, sine licentia emansit et equum retinuit. Ex castris tetendit circa Covordiam, ab Hollandis captus, tamdiu detentus, donec se Covordiae Monasteriensibus dederet, et sic ad pastoratum Covordiensem pervenit. Ibi cum militibus nocte et die potando et ludendo tam bona ecclesiastica quam pauperum, quorum recepturam habebat, consumpsit, et provisores pauperum a me post recuperatam Covordiam restitutionem petierunt. Post captivitatem ad nos reversus nullis regulis vel statutis se subdere voluit. Nunquam ecclesiam frequentabat, sine ulla petita licentia quoties et quando sive de die sive de nocte exibat et revertebatur. Quoties admonitus, toties contradixit. Cum non scirem medium opportunius, visitatores advocavi, qui ipsum hinc coegerunt in Udem, uti patet in charta visitationis (1676). Hinc discedens pectorale argenteum cum imaginibus deauratis b. virginis et Augustini furatus vendidit acatholico praetori in Helmunt. Post varias circuitiones venit in Udem, sed non diu remansit. Omnibus consumptis ad nos venit, et postquam in veste quasi militari sine licentia ivisset, circa tempus paschale prope Covordiam evocavit catholicos, in taberna haeretica sacrilege excepit confessiones et distribuit communionem paschalem ex istis hostiis, quas in capsula parva lignea sine altari, calice, corporali aut ullis vestibus sacerdotalibus, sine sacro aut missali consecraverat. Tandem de consilio capitularium et generalis incarcerationis ad duos circiter annos ad meam instantiam sperantem emendationem liberatus mittitur in Tungeren, ubi aliquamdiu emendationem simulavit, ut etiam ad rectoratum monialium promoveretur [!]. Quomodo et qualiter se ibidem gessit, Tungrenses deplorant. Inde huc reversus (1682) apud acatholicos se omni ex parte liberatum a sede apostolica, me et omnes cooperatores ad ipsius capturam esse excommunicatos plenis buccis apud omnes blaterabat, ut propter intolerabilia ipsius convitia et mendacia iterum in priori custodia detentus ad octo circiter dies promittens emendationem cum honesto viatico dimissus sit. Immemor promissorum contra Tungrenses se opposuit, donec a generali ponerentur commissarii, qui ipsum ad tollendum scandalum nostris sumptibus miserunt in Corsendunck. Paruit, sed taliter se gessit, ut prior (sicut mihi scripsit) conquereretur talem hominem quovis*

statum s. R. ecclesiae, Romani imperii, celsissimum principem Monasteriensem, excellentissimum comitem Bentheimensem, capitulum nostrum, nos et iter nostrum.

Acta sunt haec 29. et 30. April. anno 1676. in canonica Vrensegiana, in quorum fidem hasce praeter manus subscriptionem sigillo officii nostri communivimus.

(Siegel.)

F. Henricus Steckelenus,
qui supra.

(Siegel.)

Fr. Henricus Heidmayr,
qui supra.

11.

1678.

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis amen. Nos Henricus Steckelenius, canonicorum regularium s. p. n. Augustini capituli Windesemensis per Germaniam generalis ac canonicae

etiam pretio nolle detinere, qui ex suis agnis lupos faceret et se ad necem peteret. Inde dimissus ad nos rediit et praeter consuetas murmuraciones et obloquia tam simulate vixit, ut iudicarem ab omnibus absolvendum et a generali vocem capitularem ipsi restituendam petiverim. Generalis tamen prudenter negavit et, an continuaret, voluit experiri. Non longo tempore post dictus Danckers scripsit per Nicolaum Cock ad quendam Mechliniensem se primis diebus venturum cum duobus nostris equis nigris ipsi in solutionem tradendis. Ideo habitum suum album denigrari fecit in Northorn, ut inde sibi vestes saeculares conficeret et noctu hinc cum equis commodius discedere posset. Quod cum mihi et nostro capitulo constaret, iterum ad carceres communi suffragio missus est. Quibus pertractis partes haereticas transiit, a praedicantiis et haereticis eleemosynas emendicavit et tam matrem suam quam fratres ita vexavit, ut mihi ambo (pastores) scripserint, si non adducerem inde et captivarem, vellent et me et generalem deferre apud episcopum et cogere ad tollendum tam intolerabile scandalum, seseque velle concurrere ad sumptus ad incarcerandum ibidemque detinendum insumendos, uti sonant litterae eorum. Post plurima scandala, vexationes amicorum et lites iterum ad has partes pervenit, actionem contra nos apud acatholicos instituit, cum nihil in Tubantia proficeret, Groningam ivit et a colono nostro se priorem tingens summam pecuniae extorsit. Inde in Dalen in Drentia a conductore decimarum nostrarum ultra centum florenos iuxta propriae manus quitantiam accepit et de tota summa contra nos egit. Cum per advocatum catholicum, utriusque iuris doctorem Busch, senem, oppugnaretur, ita eum verberibus excepit, ut ultra mensem lecto affixus manserit, et sic inde abscurrrens patriam repetivit. Taliter ibidem se gessit, ut etiam iudex acatholicus propter furta (ut prior Corsenduncanus mihi scripsit) manus illi iniecisset, nisi praeventus a priore Elisabethano, iam commissario generali, et rectore Venlonensi captus in Corsendunck adductus fuisset. Prior interim Corsenduncanus statim incarcerandum Lyram ad Alexianos nostris sumptibus misit. Inde ad parcendum sumptibus in Cliviam apud tertiarios s. Francisci vulgo Marienwater transvectus. Sed et ibi perfracto carcere iterum aufugit et sicut prius amicos suos vexavit et scandalizavit. Inde rursus [?] in Tubantiam omnia sua priora scandala renovavit et relictis multis debitis furtim decessit in Maioratum et taliter fratrem suum, pastorem Werdanum, vexavit, ut etiam ipso invito pastorum fratris invaserit, litteras vicarii generalis Haubraken pastoralia ipsi prohibentes ad pati-

ss. Petri et Antonii in Dalheim prior, assumpto nobis venerabili admodum patre d. Joanne Zilles, capituli nostri per superiorem Germaniam commissario ac canonicae Novesianae priore¹⁾, visitantes canonicam colligationis nostrae in Nemore b. Mariae virginis vulgo in Frenswegen appellatam in diocoesi Monasteriensi, comitatu Bentheimensi sitam invenimus congregationem sacerdotum et fratrum secundum canonicam professionem nostram Deo devote famulantium ac proximorum saluti promovendae tamquam fideles operarii in vinea Domini desudantium, ut merito gavisus ac congratulatus nobis fuerimus complacentiam non parvam habentes. Quia vero quasi a cunabulis pridem canonica nostra disciplina post longum exilium ac desolationem magnam vigere ac reflorescere per Dei gratiam in hac domo incipit, infirmitatis ac instabilitatis humanae non ignari nostrum esse arbitrati sumus, ut, quae deessent, doceremus, quae deficerent, moneremus, quaeque instituta forent, confirmarem, ut sic bona

bulum affixerit et illuserit, donec ab omnibus sibi adhaerentibus derelictus tandem iterum a priore Corsenduncano captivaretur et iterum Lyram veheretur. Inde post annum valde laboriose et sumptuose huc adductus incarceratus fuit, donec iam ultimo modo vix conceptibili carceres perfregerit. Quomodo et qualiter post illam effractionem se gesserit, priori moderno melius quam mihi innotuerit. — Am 16. März 1691 erhielt Danckers auf Haus Brecklekamp im Auftrage des Stifts eine Summe Geldes und entsagte dafür allen Rechten auf Frenswegen. Trotzdem aber suchte er, indem er sich an den päpstlichen Internuntius in Brüssel, Piazza, wandte, bald darauf wieder seine Stelle in Frenswegen oder eine jährliche Pension zu erpressen. Der General Zilles wies aber dies Ansinnen ab. 1692 wurde „ad redimendam vexam“ das Abkommen getroffen, daß Frenswegen einen Confrater aus einem brabantischen Stift übernahm, wogegen dies an Danckers 50 Rtlr. zahlte. Aber auch damit war Frenswegen seinen Plagegeist nicht los. 1693 wollte es ihn, weil er vom päpstlichen Stuhle die Lossprechung erlangt hatte, infolge der Bemühungen des Kölner Nuntius beim münsterischen Generalvikariate wieder aufnehmen. Aber Danckers, der sich in Bentlage aufhielt, weigerte sich, indem er erklärte, nur der Entscheidung des Brüsseler Internuntius gehorchen zu wollen, und machte sich nachts davon. Das Generalkapitel in Köln am 26. Juli 1693 erklärte, er sei „indignus, qui ad congregationem nostram, a qua ultro ipse se separavit, admittatur; nihilominus datur ipsi facultas redeundi ad locum iustitiae, e quo aufugit.“ 1694 hatte der Brüsseler Internuntius durch einen neuen Streich, den Danckers in Brüssel selbst verübte, Gelegenheit, seinen Schützling kennen zu lernen, und wollte ihn einsperren lassen. Danckers aber begab sich wieder nach Holland. Am 15. April 1697 forderte der münsterische Generalvikar Joh. Kaspar Bordewick auf Veranlassung des neuen Kölner Nuntius den Prior Lageman auf, Danckers wieder aufzunehmen. Dieser aber gab ihm eine sehr kräftige und entschiedene Antwort, in der er auseinandersetzte, daß weder der Nuntius noch der Generalvikar solche Weisungen zu erteilen hätte; Danckers sei an den Ordensgeneral zu verweisen oder noch besser so lange festzusetzen, bis über ihn entschieden sei. Danckers, der davon Wind bekam, riß wieder aus, wurde aber einige Monate später in Antwerpen festgenommen. Über sein Ende meldet v. Cooth nichts.

¹⁾ Später, 1690—1706 General (Acquoy 3, 320, Schmitz-Kallenberg im Hist. Jahrbuche 36, 603).

Quellen von Frenswegen

18

conservando defectusque emendando ad perfectiorem regularis vitae observantiam sanctioremque morum disciplinam in maius bonum s. matris ecclesiae catholicae ac conversionem ab ipsa aberrantium magis ac magis congregatio haec in omni bono proficiat. Quare ipsum venerabilem admodum dominum priorem in charitate Domini nostri Jesu Christi hortamur et obsecramus, quatenus suscepti regiminis curam sancto zelo et sincero affectu, quo coepit, agere pergat cavens, . . .

Charissimos etiam in dilectione Christi confratres nostros hanc domum habitantes sancto et sincero monemus et rogamus affectu, quatenus suae religiosae vocationis semper sint memores . . .

Status domus: venerabilis pater prior cum quatuor sacerdotibus et octo clericis professis, duobus etiam conversis et quodam ecclesiastico lectore.

Electus est in suppriorem r. d. Hermannus Guilielmus Lagemann procurator, qui officium illud secundum statuta ac hanc chartam nostram administrabit. De receptis expositisque tempore procuraturae suae computum parabit ac venerabili patri priori perfectum statum creditorum debitorumque exhibere studebit. Deinceps etiam patri priori in omnibus fideliter auxilio erit non solum in spirituali, sed etiam temporalis administratione.

Ordinationes observandae.

Quoniam sanctus legifer noster iubet ante omnia Deum diligere, primam curam nostram esse oportere iudicavimus, ut decorem domus Dei in divino perficeremus officio, quod tum speramus optime fieri, quando promovemus scientiam rubricarum et quae ad divini officii ordinem ac decorem spectant. Hinc praecedentium capitulorum generalium decretis inhaerentes ordinamus, quatenus secundum commentarium Gavanti¹⁾ ac constitutiones nostras omnia dirigantur relictis omnibus abusibus et aliis opinionibus. Ut vero haec omnibus nota fiant, de eodem commentario legatur ad mensam in refectorio bis in hebdomada, scilicet feria 3. et 5. Ut etiam constitutionum nostrarum sciant de divino officio praescripta, aliquot hebdomadibus abhinc legantur ex iisdem capitula, qualiter se fratres habere debent in horis regularibus et ad missam conventualem. Sacrista etiam caput de suo officio describat et quoad pulsum aliaque observet. Constitu-

¹⁾ Bartolomeo Gavanti, *Thesaurus sacrorum rituum* 1669 u. ö.

tionibus hisce se omnes accomodare ordinarie studeant, proprium iudicium ac voluntatem sanctae oboedientiae subicientes omniaque sua ita dirigant, ut, quantum fieri potest, ordinem et modum in illis praescriptum observent.

Ut in choro prope summum altare deinceps summum sacrum cantetur, praecipimus. Ut vesperas cantare, sicut decet, possint, supplementorum liber proximis diebus bis vel tertio describatur.

In choro ac altaris servitio sacramentorumque administratione semper sint superpellicio induti. Iuniores sibi almutia procurent et bireta. Aliis etiam de iisdem provideatur.

„Te Deum“ et completorium omnibus diebus cantetur.

Praeter pulsum ad chorum alius pulsus pro summa missa fiat sub paenultimo psalmo.

Feriis quintis post summum sacrum manente exposito sanctissimo sacramento cantetur responsum „Benedic, Domine, domum istam“ etc.

Ut chorus ab accursu populi liber maneat, una aut altera sedes confessionalis in ecclesia constituatur. Chorus per ianuam inter duo altaria lateralibus aut per cancellos infra illa altaria separetur et occludatur. De ianua inferioris ecclesiae ad aream praeter v. d. priorem, supriorem et sacristam nullus omnino clavem habeat. Sera ergo ad eam mutetur, ut ab extra aperiri non possit. Circa tempus divini officii aperiatur et post illud claudatur.

Etsi ubique omni tempore ita nos habere in omnibus moribus nostris deceat, ne cuiusquam offendamus aspectum, imprimis hoc nos observare oportet in templo Dei, ubi divina celebrantur mysteria. Proinde ibidem summa servetur modestia, erga ipsa sancta mysteria devotio et reverentia, oculi custodiantur nec curiose per ecclesiam, praesertim inferiorem ad quosque adventantes emittantur, sed solum, quae ad divinum officium spectant, agere et cogitare studeant. Inclinationes et adorationes profunde, ut oportet, fiant.

Horae canonicae tarde, devote, graviter, unisona, clara, cantuali voce cum debita respiratione in medio versuum persolvantur et non per levitatem ac celeritatem nimis indecentem se magis indevotos scholares iuvenes quam viros graves et religiosos ostendant.

In quo choro est sacerdos hebdomadarius, in eodem debet esse versicularius.

Quando non est concio diebus festivis, tertia ante missam summam cantetur et post missam legatur sexta, nona vero post mensam legatur.

Non decet, quod propter studia divina laudes indecenter et indevotè persolvantur, verum magis servus Dei in Dei gratia quam suis laboribus confidere debet.

Ad divini amoris accendendum ignem semper post matutinam et completorium per quadrantem saltem horae meditatio aut recollectio servetur et pro suggerenda meditationis materia aliquid ex libro apto a versiculario praelegatur.

Quando concurrrens sacrum legendum est in vigiliis aut feriis maioribus secundum consuetudinem congregationis nostrae minus sollemne, mane statim post tertiam legatur et omnes fratres eidem intersint manentes in choro.

Accrescente numero sacerdotum diebus festivis ita missae ordinate fiant, ut populus adveniens semper missam audire possit.

Sacerdotalis officii sui omnes sint memores ac sanctam propitiationis hostiam Deo indes offerre non negligant.

Ut pro defunctis debitae preces persolvantur, bis in quolibet mense missa in anniversariis cum tribus collectis cantetur et officium trium lectionum legatur. Praeterea tertio in anno post octavas epiphaniae, s. sacramenti et omnium sanctorum servetur memoria generalis pro omnibus fratribus, propinquis ac benefactoribus cum officio novem lectionum et missa sollemni.

Fratres clerici sive iuniores singulis dominicis et festivis diebus sub summo sacro communicent.

Quia a bona institutione hominis religiosi vita dependet, eosdem sine magistro relinqui nimis nocivum arbitrantes committimus r. p. Augustino Raeths clericos omnes in cantu, ceremoniis ecclesiasticis moribusque religiosis secundum regulam ac constitutiones nostras instruendos, qui ipsi ut magistro suo cum omni reverentia oboediant. Eidem p. Raeths committimus officium cantoris, qui proinde cum consilio v. p. prioris ac supprioris allaborabit, ut totum divinum officium secundum rubricas ac constitutiones nostras ordinate ac decenter fiat. Clerici quoque in maioribus ordinibus constituti in iisdem suis temporibus bene exercentur ad morem ordinis nostri.

Ut etiam clerici imbuantur lectionibus spiritualibus in cellis suis, quilibet, qui non ordinarie catechizat, in hebdomada lectionis suae aliquem sermonem proprio Marte confectum saltem ex charta in refectorio dicat.

In refectorio per totam mensam legatur per unum sub prandio. Quod pium ac doctum colloquium subinde secundum discretionem praesidentis servetur, concedimus. Sub coena dividi potest lectio per plures mensae assidentes. In coena non facile colloquium detur et post coenam ad completorium eatur. Quamdiu tamen transitus ad ecclesiam est ita incommodus, indulgemus, quod tempore hiemali completorium et nona ante mensam servari possint.

Ut disciplina religiosa et correctiones debitae non impediatur, nulli extranei vel saeculares ad refectorium admittantur nisi cum licentia v. p. prioris.

Ieiuniorum et abstinentiarum dies in statutis praescripti servantur nec grave sit religioso bonae voluntatis subinde carnem suam ieiuniis et abstinentia secundum leges professionis suae domare.

Sobrietatem, sanitatis sanctitatisque matrem, semper ament, ebriositatem ut inferni foveam ac spiritualis vitae latronem ac hostem horreant tamquam inter carnis vitia ab apostolo numeratam, quae a regno Dei excludunt.

Silentii observantiam ut bonorum omnium nutricem ac pacis concordiaeque custodiam in praescriptis locis ac temporibus serio tamquam spiritualis pulchritudinis amatores sollicite curent.

Unde supprior ad omnem disciplinam silentii ac alia quaeque in locis, ubi prior non est praesens, advigilet, cellas visitet et inquietos corripiat, etiam absente vel impedito v. p. priore capitulum culparum servet, sibi oboedire nolentes aut obloquentes v. p. priori corrigendos denuntiet, curam habeat, ut dormitorium vesperi statuto tempore claudatur et mane ab eo sacrista clavem accipiat. Supprior absente senior clavem dormitorii habeat et ad disciplinam silentii attendat.

Concedimus, ut cum consilio p. prioris accepta pro desertura in Northorn in ornatum istius sacelli impendantur.

In conversatione cum extraneis servetur caput de portario. Monemus autem, ut suae castae professionis memores, qua angelos imitari videntur in terris, familiaritatem aut multam conversationem cum quibusvis feminis caveant, ut vere sub candido habitu in conspectu Dei mundo et casto corde Deo famulentur considerantes, quantis et qualibus illa familiaritas et conversatio ruinae ac perditionis occasio fuerit, ut non immerito cuilibet bonae voluntatis ac Deum timenti religioso illa metuenda ac fugienda

sit. Quamobrem etiam notum facimus, quomodo capitulum generale postremum sub invocatione divinae ultionis et casu depositionis mandaverit omnibus prioribus, supprioribus et procuratoribus ac aliis quibusvis, ut clausuram servent violarique a suis non permittant sub poena etiam censurae in capite de portario sive de clausura memoratae. Unde caveant quamque mulierem ad ambitum, dormitorium, refectorium, hortum adiunctum aliaque annexa loca introducere vel admittere; dum enim lex ipsis ponitur, in casibus non concessis dispensatione uti non licet. Dispnantur itaque omnes ianuae et aedificia ita, ut commode femineus sexus arceri a fratrum conversatione possit.

In conviviis professionum, primitiarum ac similium etsi quaedam feminae advenerint, in refectorio tamen aut intra clausuram non comedant. Dum fratrum vestimenta lavanda sunt, uni vestiario per v. p. priorem ex fratribus constituendo tradantur, qui cum conversi vel famuli adiutorio accepta annotabit et ad lavandum deportabit; eadem recipiet ad numerum et cuique restituet.

Ambitus clausus maneat nec quisquam ad externas officinas, horrea, stabula domumque coloni aut hospites quoscumque ire praesumat sine praehabita licentia v. p. prioris vel in eius absentia supprioris. Qui sine ea ibidem vagari aut conversari cum familia hospitibusve notati fuerint, v. p. priori denuntientur corrigendi.

Quando foras deambulandi licentia datur, omnes simul in capitulo vel alio commodo loco convenient et ibidem ex libro pio capitulum legi a suppriori vel alio audiant sicque simul exeant et revertantur, non tamen foris ad aliquam domum ad bibendum divertant.

Ad venationem cum bombardis ire omnino interdicimus.

Quia proprietas, certa damnationis fovea, omnis dissolutionis ac vitiorum praestat fomentum, hinc pestilentissimam illam feram insectari omni modo v. p. prior studeat ac contra inventos penes se sive tertiam personam aliquas pecunias aut quid aliud sine suo scitu habere tamquam proprietarios voce capitulari officiisque privet aliisque regularibus poenis puniat, donec emendati discant reddere vota sua Deo.

In omni incessu, statu, habitu ac omnibus moribus suis studeant semper exhibere omnem modestiam et honestatem secundum decentiam sanctae et religiosae professionis nostrae. Unde in habitu non sint nimis vani ac saeculares; argenteas ligaturas in calceis nulli habere liceat.

Ad servandam uniformitatem in congregatione nostra ad mensam caputiis sint induti, quae sint sine nodis et ex materia religiosam modestiam decente sicut omnis reliquus habitus noster.

Absente v. p. priore omnis disciplina strictius a suppriori servetur.

Notificamus etiam, quod venerandum generale capitulum postremum proscrisperit tabacum, lusum alearum et chartarum sub poena gravioris culpae.

Capitulum culparum saltem singulis quindenis servetur.

Ne quis per ignorantiam aut oblivionem a canonica nostra disciplina ac regulari vivendi norma deviet, statuta singulis annis legantur post octavam sanctissimi sacramenti in refectorio ad mensam incipiendo a principio singulis diebus, donec absolvantur, et in adventu Domini in capitulo inchoando a capite de priore, ut latius in statutorum capite primo videre possunt.

Charta haec visitationis bis in anno legatur in capitulo coram professis clericis ac sacerdotibus, scilicet in feria secunda paschatis et festo sancti Johannis evangelistae.

Cetera omnia prudenti zelo ac discretioni v. p. prioris

Acta sunt haec in loco quo supra anno 1678. diebus 15. 16. Julii, in quorum fidem ac robur has manibus ac sigillis nostris subsignavimus.

(*Siegel.*)

F. Henricus Steckelenus,
p. generalis qui supra
indignus.

(*Siegel.*)

F. Joannes Zilles, com. et
p. N. q. s. m. pp.

12.

1684.

In nomine sanctissimae Trinitatis amen. Nos Joannes Zilles, canonicorum regularium s. p. Augustini congregationis Windesemensis per superiorem Germaniam commissarius, ac Casparus van der Mehr, eiusdem congregationis secretarius, canonicarum b. Mariae virginis Novesii ac sanctissimi corporis Christi Coloniae respective priores anno Domini millesimo sexcentesimo octuagesimo quarto diebus 6., 7. et 8. Novembris visitantes colligationis nostrae canonicam b. Mariae virginis in nemore prope Northorn sitam, Frenswegen vulgo dictam invenimus venerabilem admodum dominum priorem Joannem Fronhoven cum novem sacerdotibus, uno professo clerico ac duobus conversis ad congregationis

nostrae canonicam institutionem ac apostolicam normam in fraterna concordia et pace cum laudabili plurimum animarum zelo Deo famulantes ac in circumscriptis catholicis partibus verbum Dei praedicando sanctissimaque sacramenta administrando multum Deo adiuvante fructificantes

Ut etiam tranquillius minusque impedito Deo famulari possint, alia quaedam, quae ad corporis sublevandam necessitatem, ad fraternam servandam pacem, ad disciplinae regularis perfectionem observantiam ac divini cultus augmentum spectare videntur, commonere et addere salutare visum fuit.

Imprimis ut divinae laudes maxime in summo sacro ac vespere cantari debite possint, monemus omnes in officiis externis constitutos, ut, quantum possibile est, illis interesse studeant, ne ob paucitatem personarum illa non debite cantari posse contingat propter absentiam quorundam foris curam animarum exercentium. Qui ex officiatis negligere hanc monitionem repertus fuerit, pro animae suae salutem melius curanda ab officio absolvatur, nisi se iuste excusare potuerit.

Provideatur etiam, ut in libris choralibus, qui bene custodiri debent, quae deficiunt, in supplementis describantur, ne ob aliquem defectum sacrum aut vesperae legi debeant. Quando et quamdiu ex hoc defectu vesperae leguntur, cantetur completorium et quamvis legatur completorium subinde, semper tamen „Salve regina“ aut alia pro tempore antiphona de b. virgine cantetur.

In cantu psalmi et hymni maiore gravitate, distincta syllabarum omnium pronuntiatione ac devotione, cum debita pausatione legantur aut cantentur, nec aliquis incipiat versum sequentem, nisi prior absolutus perfecte fuerit; in fine autem longas caudas voce fortiore non addant.

Ut conversi fratres suas horas et preces devotius orare possint, semper ad matutinas veniant.

Omni die post primum sacrum unum legatur, cui conversi et catholica familia interesse possint, ut reliquis horis laboribus vacent. Quoniam ad divinam gratiam impetrandam nihil efficacius ac Deo placentius sanctissimo missae sacrificio, in quo summus pontifex noster semper vivens ad interpellandum pro nobis coelesti patri sistitur ac amoris unio cum Deo in nobis renovatur et confirmatur, ut constantius in Deo permaneamus, suademus, ut ad summae dilectionis sacramentum sacrificiumque studeat se

quisque, quantum potest, indies disponere. Ut vero diebus dominicis et festivis ordo servetur, in tabula quadam cantor omnium nomina scribat et cuique suam horam celebrandi ordinet, cui se quisque accomodare teneatur.

In choro cum habitu debito omnes compareant sive a foris reversi, sive exituri.

Ut concionaturi evangelium dominicae iuxta ordinem diocesis scire possint, calendarium Germanicum annue procuretur in conventu affigendum.

Ianuae versus conventum melius claudantur, ne liber pateat accessus feminis aut aliis. Ianuae versus ambitum prope culinam alia sera addatur pro nocturno tempore, ut illic non detur per communem clavem egressus. Nulli autem liceat culinam intrare.

Cum ad religiosam et piam vitam multum iuvet religiosa paritas et frugalitas, haec etiam afflicta et calamitosa tempora paritatem et frugalitatem imperent, monemus, ut tam fratres quam hospites parcus tractentur omniumque victualium accurata sit observantia suosque amicos non nimis frequenter advocent aut diu detineant sumptuosiusque tractent, ne vix eluendis posthac debitis canonica gravetur. Hospites etiam non nimis in seram noctem detineantur, minus ipse cellarius post discessum p. prioris quemquam diutius detineat, sed et ipse tempestive ad dormitorium se conferat, ut minus impeditus matutino officio altero die interesse possit.

Cellarius ipse per se vinum promat et in charta annotet ac p. priori de quolibet vase rationem exhibeat.

Quicumque hospitibus adsunt, caveant per indecentem et excessivum potum sese inebriando Deum et proximos offendere, fratresque ad hospitem mensam vocati circa nonam discedant, ut ad matutinas Dei laudes paratiores sint.

Quicumque ebrius in conventu visus fuerit, per aliquot hebdomadas ad hospites non admittatur. Qui a foris se inebriaverit culpabiliter, per aliquot hebdomadas conventum non exeat, qui cum scandalo plurium culpabiliter inebriatus diutius in conventu maneat, nec ad hospites in poenam aliquo tempore admittatur.

Ut religioni semper debita servetur honestas, non facile ad saecularium convivia accedendi cuiquam detur licentia.

Ut communia conventus bona melius pro communi usu custodiantur, nulli liceat habere claves de promptuariis, caveis aut locis communibus, in quibus conventus victualia asservantur, nisi

illis, qui ex officio a p. priore commissio habere debent aut possunt, sed extradere illas sub oboedientia cuilibet praecipitur. Adulterinas autem claves habens (quod non speramus), quibus vel ad nocturnum egressum vel ad victualia accipienda sine licentia utitur, tamquam fur rerum monasterii aut furtive egrediens a nullo sacerdote sine licentia p. prioris et non nisi post abiectionem istarum clavium a peccatis absolvatur. Quicumque etiam noverit quemquam tales habere, revelare p. priori teneatur.

Ne canonica personarum multitudine gravetur, post hunc acceptatum adolescentem, quamdiu hic personarum religiosarum multitudo manet, nullus admittatur, nisi qui in annuis redditibus conferat, unde sustentari valeat.

Ut dormitorii sit debita observantia, paretur clavis pro suppriori, ut statuto tempore dormitorii ianuam claudere possit omniumque cellarum sic disponantur serae, ut a. p. priore vel suppriori per clavem communem aperiri possint quovis tempore.

Supprioris est ad omnem disciplinam in omnibus locis, ubi prior non est, praesens attendere, ad quem proinde absente p. priore etiam litterae tam receptae quam mittendae deferri debent.

Procurator exactum statum domus p. priori proxime exhibeat nullaque debita contrahat aut mutuas pecunias accipiat nisi cum scitu et placito p. prioris, cum quo etiam saepius communicare super domus negotiis debet ac toties, quoties voluerit, rationem reddere. Si oboedire in hoc noluerit, poterit a p. priore iuxta consuetudines nostras absolvi.

Nulli canes permittantur nisi, qui communitati serviant.

Si quis aliquo vestimento indiguerit seu novo seu reparando, vestiario vel procuratori indicabit, omnibusque iuxta religiosam modestiam providebitur vel ex peculio aut deposito, si habuerit, aut ex communi, si non habuerit, ut nullus defectu necessariorum gravetur. Dumque nova vestimenta accipiunt, antiqua in usum familiae extrudantur aut aliter applicanda.

Ut linea vestimenta saepius laventur et ad lotionem statuto die tradantur, curam habebit vestiarius, qui quoque monebit procuratorem, ut dies aliquot ante lotionem netrix quaedam omnia trita reficiat.

Infirmorum ut cura commodius habeatur, provideatur locus pro infirmaria.

Ne fraterna charitas per acerba et convitiosa verba laedatur, caveat quisque indecenti nomine quemquam appellare sub poena

gravis culpa. Alter alterius infirmitates portando studeatis adimplere legem Dei, quae est charitatis proximi, sine qua nemo Deum videbit.

Quoniam in festivis diebus, quibus charta visitationis legenda esset iuxta constitutiones nostras, diversi fratres impediti sunt in cura animarum extra conventum, aliis diebus sequentibus, quibus praesentes fuerint, charta haec singulis annis legatur.

Cum venerabilis p. prior per externa negotia plurimum impeditus sit, p. superior curam habeat, ut tam haec charta quam constitutiones suis temporibus legantur et observentur, ut sic novella haec plantatio in religiosis observantiis et moribus crescat et proficiat.

Pro hactenus commissis negligentis ac divino ad omne opus bonum auxilio sacerdotibus semel sacrum de sanctissimo nomine legendum, ceteris tertio litanias de eodem sanctissimo nomine recitandas iniungimus.

Status domus declaratus est nobis a p. procuratore, quod debeat conventus in currentibus debitis ter mille centum et duos florenos. Etsi quaedam summae capitales levatae, sunt tamen ad censum cum foenore maiore elocatae, ut sic pro debitis reputandae non veniant.

In fidem et robur horum omnium has sub manu nostra et sigillis damus in canonica supradicta nona Novembris anno quo supra.

(Siegel.)

Fr. Joannes Zilles,
com. et pr. q. s. m. pp.

(Siegel.)

Fr. Casparus van der Mehr,
prior qui supra.

13.

1688 März.

In nomine sanctissimae Trinitatis amen. Nos Joannes Zilles, canonicorum regularium congregationis Windesemensis per superiorem Germaniam commissarius, Casparus van der Mehr, capituli generalis secretarius, canonicarum Novesianae et Coloniensis respective priores, anno Christiano millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo 18., 19., 20., 21., 22., 23., 24. Martii visitantes canonicam nostram b. Mariae virginis in nemore Frenswegen dictam invenimus chartas priorum visitationum vix observatas, constitutiones quoque nostras non legi solitas in conventu, proinde de vita ad earum praescriptum instituenda vix aliquam curam esse,

causamque huius maxime in venerabilis p. prioris remissione et indulgentia nimiaque a choro et refectorio absentia consistere. Quare ordinationes in duabus praecedentibus visitationum chartis factas renovamus et regularis disciplinae meliorem observantiam ac curam ita ipsi venerabili p. priori commendamus, ut, si deinceps melius et strictius observare neglexerit, sextum depositionis casum incurrisse declarandus veniat.

Proinde frequentes minus necessarios exitus et convivia saecularium, unde varii hospites ad gravamen magnum conventus adducuntur, frequenter adire vitabit suisque rarius exeundi licentiam concedet et quidem ea circumspectione, ut ad loca non vadant, unde periculum seu famae seu salutis timeri possit domique tot sint praesentes, qui divinum officium debite servare valeant.

Ut vero omnes constitutionum scientiam habeant, proximo die sub mensa in prandio legantur incipiendo a capite de priore usque ad caput de commissariis monialium. Sub prandio quoque per totum legatur. Post pentecosten sive octavam corporis Christi legantur constitutiones inchoando a principio. Monemus quoque, ut iuxta caput de pastoribus parochialibus curis deservientes peracto officio absque ulteriore circumvagatione domum revertantur et a divino officio se non absentent, nisi quantum p. prior pro necessitate studii indulserit.

Non differatur diutius compactura librorum choralium ac bibliothecae debita dispositio.

Si quovis modo media conventus patiantur, paretur transitus ad ecclesiam.

Omnes pecuniae in summis magnis provenientes sive ex dotibus sive aliunde ad archivium deponantur et de communi consilio applicentur.

Nulla immobilia bona aut census perpetui vendantur nisi de communi consensu ac reverendissimi p. generalis; sin secus fiat, noverit venerabilis p. prior depositionis casum incurrisse.

Sacrae reliquiae maiore cura in honore serventur nec quasi abiectae relinquantur.

Pecuniae, quae ex sepulturis obveniunt, ad ecclesiae ornatum applicentur seu ad sacra paramenta.

Mandamus p. procuratori, ut ambitum ianuis et seris sic claudi faciat, quatenus tempore nocturno nulli exitus vel accessus pateat. Huius tempore statuto claudendi curam p. supprior habeat.

Ut per diem studendi tempus habeant, mane circa horam quartam primum signum detur ad matutinam et lumen necessarium a procuratore sacrista postulet.

Monemus omnes et singulos, quatenus apud saeculares foris de causis monasterii et fratrum, maxime quae in capitulis et visitationibus contingere solent, non loquantur. Qui contra fecisse inventi fuerint, iuxta constitutiones puniantur.

Status domus.

P. prior cum novem sacerdotibus, duobus clericis et duobus conversis.

Debita currentia declaravit p. procurator se extendere ad mille et sedecim imperiales 44 st¹). Fixa, de quibus dat conventus pensionem, esse mille et octingentos imperiales.

Ne inutiles fiant omnes sumptus ac labores ad visitationes impensi, monemus, ut deinceps ad explenda, quae ordinata sunt, advigilent oboedientiamque debitam in parendo et obsequendo exhibeant, ad canoniae suae decus et ornamentum, suam cuiusque laudem, gloriam et salutem, ne negligentius suae vocationi intendentes coram Deo et hominibus confundi contingat. Quare suis diebus chartarum priorum ordinationes una cum hac legantur.

In fidem et robur horum omnium hanc chartam nostris manibus et sigillis communitam damus vigesima quinta Martii anno quo supra.

(Siegel.)

Fr. Joannes Zilles com.
per superiorem Germ., prior
Noves. qui supra m. pp.

(Siegel.)

Fr. Casparus van der Mehr,
prior Coloniensis m. pp.

14.

1688 August.

In nomine sanctissimae Trinitatis amen. Nos Joannes Zilles, canonicorum regularium congregationis Windesemensis per superiorem Germaniam commissarius et beatae Mariae virginis canoniae Novesii prior, et Casparus van der Mehr, capituli generalis secretarius, canoniae sanctissimi corporis Christi Coloniae prior, per litteras nona die Julii nuper datas a reverendissimo et illustrissimo domino domino Friderico Christiano a Plettenberg,

¹) Stüber.

decano et vicario generali, nunc electo principe et episcopo Monasteriensi, commoniti, quatenus ad restituendum Augustinianae disciplinae rigorem in monasterio Frenswegiano de mediis congruis et opportunis mature per nos deliberaretur, alias ipse auctoritate, qua fungeretur, ordinaria defectum illum esset suppleturus, officio nostro satisfacere volentes accessimus dictum monasterium congregationi nostrae unitum ac super statu observantiaque debita regulari inquirentes iudicavimus consultum, quod huic canoniae Frenswegianae de novo capite provideretur. Quare ad renuntiandum officio suo venerabilem patrem priorem disposuimus, quem etiam obsequenter resignantem cum certis indultis ab officio prioratus absolvimus.

In huius locum per legitimam electionem suffectus et per nos in priorem canoniae Frenswegianae confirmatus est admodum reverendus dominus dominus Hermannus Guilielmus Lageman¹⁾).

Ipsam itaque hortamur in Domino, ut in amore et timore Dei dominici huius gregis agat curam ac iuxta canonicae nostrae Windesemensis observantiae Augustinianaeque disciplinae leges cum bona ac integra conversationis exemplo eum pascat et regat inspiciens exemplum Josiae, piissimi et divini cultus zelosissimi regis Judae, de quo 4. Regum c. 2. scribitur . . .

Canonicae disciplinae nostrae Windesemensis et sacrarum constitutionum liber, quo quisque in regulari vita instruitur, dirigitur ac in semita recta divini cultus, professionis salutisque suae continetur, multo hic tempore quasi neglectus iacuit, disciplinae Windesemensis et Augustinianae non fuit debita cura. Zelotem desiderat canonica haec Frenswegiana strenuum, prudentem et pium, qui faciens, quod placitum est coram Deo Domino, in timore et amore Dei ambulet per vias priorum patrum domus huius in toto corde suo, in tota anima sua ac in universa virtute sua iuxta Augustinianae regulae ac constitutionum sacrarum praescriptum, nimirum qui seipsum omnesque subiectos ita dirigat, ut in strictae regularis observantiae splendore ac sanctae conversationis decore canonica haec Frenswegiana coram vicinis populis ad aedificationem fidelium et confusionem malignantium gloriosa refulgeat.

Ad hoc itaque opus nunc electus dominus prior vocatus a Deo Deum vocantem sequatur. Etsi cum s. Jeremia in corde suo humiliter de se sentiens dicat: *A a a, Domine, nescio loqui, quia puer sum*²⁾, confidat tamen in Domino vocante et dicente: *Ecce, constitui*

¹⁾ *Er war Prior 1688—1704.*

²⁾ *Jer. 1, 6.*

*te, ut evellas et destruas et disperdas et dissipas et aedifices et plantas*¹⁾. Evellas et destruas saeculares consuetudines corruptosque mores, disperdas et dissipas malas familiaritates et machinationes sacris legibus contrarias et omnis bonae disciplinae convulsivas, aedifices et plantas omnigenae virtutis, pietatis, modestiae religiosae ac bonorum morum regularisque disciplinae exempla, virgulta et semina in omni patientia et doctrina arguendo, obsecrando et increpando, ut tandem bene cultum Marianum nemus de omnigenis virtutum floribus ac multiplici bonorum operum fructu in magno ecclesiae Dei horto spiret ac fragret bonum Christi odorem in omni loco. Quare et nos pro officii nostri debito nostram operam et consilium addentes haec sequentia imprimis monemus et ordinamus observanda.

Dolendum valde est, quod multi relictis charis et bonis suis de saeculo venerint ad domum regularis disciplinae et disciplinam nec discere nec servare nec eius legibus subici velint de sorte illius, de quo dixit sapiens 3. Sap. cap.: *Sapientiam et disciplinam qui abicit, infelix est*²⁾

Quia vero leges, quae nesciuntur, negliguntur et contemnuntur, constitutionum lectionem bis in anno faciendam iuxta, quod in iisdem parte prima cap. 1. praescribitur, nullo modo negligant

Similiter bis in anno, scilicet in festo s. Joannis evangelistae et feria secunda paschatis legi debet charta visitationis cum decretis capituli generalis, quae ad mores pertinent formandos.

Etsi quidem alicui tamquam Josiae zeloso haec ipsa lectio sufficere possit, consultum tamen arbitramur particularia quaedam annectere et quidem:

Imprimis decorem domus Dei diligendum commendamus. Proinde, quae ex sepulturis obveniunt, in usum sacristiae vel templi impendantur.

Reliquiae sanctorum cum maiore reverentia conserventur.

Divinum officium graviter, devote, clara et unisona voce, cum perfecta pausatione in medio et in fine versuum persolvantur sine caudis.

Sacerdotes non facile ex taedio aut tepore missam celebrare omittant propter otiosas fabulas aut inordinatum scientiae affectum.

Diebus dominicis ac festivis unus post alterum celebret ac ultimus in ordine post summum sacrum vel concionem. Fiat

¹⁾ Jer. 1, 10.

²⁾ Sap. 3, 11.

tabella, in qua ordo celebrantium scribatur cum oneribus observandis pro benefactoribus.

Quoniam in tam ampla possessione bonorum vix credibile est nullos benefactores fuisse, qui pro se certas preces aut missas persolvi voluerint, hinc committimus d. priori, ut pervolutis archivii literis inquirat, quae defunctis officia praestanda sint. Iram enim Dei valde provocat ossa mortuorum rodere et non pro eis, ut oportet, orare.

In festis secundae classis et supra uti et in feriis quintis, dum exponitur venerabile sacramentum, in summo sacro diaconus et subdiaconus ministrabunt.

Venerabile sacramentum semper ante introitum missae exponendum.

Ferialibus diebus propter duas lectiones philosophicam et theologicam ante et post meridiem servandas dispensatur, ut vespere legantur et completorium immediate post cantetur. Cesantibus lectionibus vespere hora debita serventur.

In vigiliis tamen sollemnibus vespere circa medium quartae cantentur et completorium suo tempore, sicut etiam in dominicis et festivis diebus debita hora vespere et completorium cantentur, uti et horae ante summam missam.

Ad matutinam singulis diebus pulsetur primum signum circa quartam.

Per diem in divino officio omnes compareant induti caputio, donec choralem habitum habuerint.

Inclinationes sub „Pater noster“ et ante horas et sub collectas profunde fiant.

Cantor ad statutorum praescriptum cuncta in choro dirigat.

Diebus festivis, quando non est concio, et ferialibus, quando non est dies ieiunii nec sacrum votivum aut pro defunctis, legatur aut cantetur tertia ante summam missam et post missam sexta.

Ex choro nullus exeat nisi petita licentia neque ordinarie exeant rectorarius, infirmarius aut lector mensae, sed expectent finem.

Mane post primam aut tertiam et vesperi post completorium per mediam horam aut saltem magnum horae quadrantem vacent in choro recollectioni aut meditationi aliisve precibus.

Libri chorales non necessarii choro hic et ibi dispersi ad bibliothecam ferantur, ut conserventur.

Bibliotheca praeparetur, ut libri disponi ordinate possint.

Quatenus omnis proprietatis species eliminetur et per exactam paupertatis religiosae observantiam basis regularis disciplinae firmiter consistat ac constet, nulli permittat d. prior pecunias quasvis penes sese aut aliam personam, a qua pro placito accipiet, habere; habere attentantes regulariter iuxta modum delicti puniantur.

Iuxta regulam s. p. n. sub mensa tota legatur, donec inde surgatur nec facile colloquium detur extra dies communis recreationis. Ad refectorium non facile saeculares admittantur.

Aestivali tempore post mensam sub psalmo „Miserere“ vel „Laudate“ ordinate iunioribus praecedentibus vadant ad chorum ex refectorio; hiemali tempore ob apertum transitum dispensatur, donec tectus fuerit, sicut commendatur.

Dato primo pulsu ad mensam omnes accedunt refectorium ibique in locis suis exspectant adventum p. prioris in silentio.

Silentium in dormitorio strictius observetur, nec quisquam alterius cellam ingrediatur, multo minus ad tabacandum vel potandum aliqui convenient; inventi puniantur iuxta constitutiones cap. de silentio et labore, quod caput proinde pro maiore observantia extra tempus aliquoties ad mensam legi, ubi et alia pro aliis excessibus corrigendis iuxta arbitrium suum p. prior mandare poterit.

Ut dormitorio vesperi claudatur usque ad matutinam, superior aut senior illo absente vel infirmo curabit.

Tempore studii, quod est sub primo signo ante missam summam et vespas, strictius silentium observandum est omnesque eo tempore in cella vel choro spiritualibus vacent.

Tabaci usum generale capitulum aliquoties sub gravi poena prohibuit; ob incendii periculum fumationem tabaci ex dormitorio quibusvis poenitentiis avertere studeant.

Quoniam s. p. n. Augustinus in regula nos monet: *In incessu, statu, habitu et in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum*¹⁾, monemus, ut omnes in habitu suo etiam nigro caveant saecularem varietatem et vanitatem saecularis et vani cordis indicativam in forma et nodorum copia imitari, verum regularis suae professionis modestiam observent, neque dominus prior aliquem vane vestitum monasterio exire permittat nisi in correcta veste.

¹⁾ Reg., Cap. 11.

Quia etiam non omnes ad partes Hollandorum potestati subditas necesse habent accedere, et, quibus hoc ipsum incumbit, fictis crinibus uti possunt, longos saeculares crines rescindi faciant et coronam regularem in capite tonderi vel radi, quibus appareant regularem professionem se emisisse, nec pudeat quemquam illius status et observantiae, cui se per voluntariam professionem addixit.

Nemini propter venationem vel spatiaementum extra septa exire liceat sine socio religioso, a quo se non separabit; qui vero separare se a socio vel communi deambulatione praesumpserit, per duos menses non exeat.

Ebrietatem ubique caveant considerantes, quod grave scandalum per religiosos ebrios saecularibus detur; proinde, qui de excessu potus moniti se non correxerint, domi contineantur aut aliis poenitentiis puniantur.

Serotinae recreationes cum nimio potu non permittantur, ut divina officia altero die, uti oportet, fiant.

Quoniam quasi notum est religiosum (quem uti angelum Domini puritatem et castitatem in omni conversatione observare decet) infamari per familiaritatem et conversationem frequentem minus necessariam, blandam, incautam aut occultam cum feminis quibuscumque, hinc omnes in Domino hortamur, ut illam fugiant, non solum malum, sed et mali speciem, per quam scandalisuntur pusilli et infamantur ipsi, declinantes. Hinc nulli liceat ad quamvis domum, ubi solae feminae habitant, pernoctaturus accedere, sed et feminae quaevis non ultra unam vel duas noctes in monasterio hospitari permittantur, cuiuscumque status sint, neque unquam cum toto conventu comedant. Fiat iuxta caput de hospitario.

Ut sub poena excommunicationis et depositionis ab officio per capitulum generale demandata clausura et exclusio feminei sexus exacte observetur, iuxta caput de portario omnia ostia disponantur et seris muniantur, et, quod est circa inferiorem ecclesiam et ambitum, clausum servetur, nonnisi circa processiones etc. aperiendum.

Prior et procurator fideliter administrent curam temporalium caveantque, ne per aliqua munuscula seducti commune commodum negligant, notam proprietatis infidelitatisque incurrentes.

In redemptione bonorum in consilium adhibeantur supprior et frater a consilio eligendus a conventu, neque arrhae in damnum communis commodi augeantur ultra aequum.

Calices, quorum non est usus, ad archivium vel similem cistam, cuius clavis in archivio sit reposita, deponantur.

De archivio unam clavem habeat dominus prior, duas alias supprior et frater a consilio.

Supprior sanitati restitutus ad regularem disciplinam in choro et ubique observandam diligenter attendat, capitulum culparum absente vel impedito domino priore servet.

Post mortem prioris per suppriorem cubiculum ipsius obsigilletur ex decreto capituli generalis nec quicquid inde auferatur post mortem vel circa agonem sub poena privationis tam activae quam passivae vocis in electione prioris per istam vicem.

Cum per intemperantem tractationem et multitudinem hospitem hucusque monasterium hoc valde gravatum et diffamatum fuerit, deinceps tam pro recuperando bono religioso nomine quam solvendis contractis debitis parcius et frugalius hospites tractentur, ampla vero et sumptuosa convivia omnino sint interdicta. Prior quoque et fratres convivia saecularium, quantum possunt, declinabunt, studeant vero magis per abstractam a saecularibus vitam, per modestam, devotam et religiosam intra monasterium conversationem ac in studio diligentiam, per exactum in templo divinum officium, concionandi cathechisandique zelum laudabiles et venerabiles se exhibere, ut tam Deo quam hominibus in omnibus placeant bonumque Christi odorem diffundere valeant ad conversionem errantium et confirmationem fidelium sui que monasterii in omnibus benedictionem et profectum ipsique per veram charitatem in spiritu sancto coadunati certam suam vocationem faciant in spe salutis aeternae

In omnium horum suprascriptorum fidem ac robur has nostris sigillis ac manuum subscriptione munitas damus in supradicta canonia Frenswegiana anno Domini millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo die decima sexta Augusti.

(Siegel.)

Fr. Joannes Zilles,
com. et pr. Noves. m. pp.

(Siegel.)

Fr. Casparus van der Meer,
prior Colon. m. pp.

15.

1700.

In nomine sanctissimae Trinitatis amen. Nos Franciscus Busch, canonicorum regularium ordinis s. Augustini in Richenberg praepositus, Joannes Schuncken, canonice B. M. V. in Ever-

19*

hardi Clusa prior et capituli Windesemensis secretarius, de mandato reverendissimi p. nostri generalis in canonia B. M. V. in Frenswegen prope Northorn visitationem instituimus invenimusque sub amplissimi domini prioris et superioris provinciae commissarii¹⁾ regimine sacerdotes divinis deservientes septem, fratres conversos duos, praeter quos decem alii sacerdotes foris variis curis et functionibus applicati morabantur.

Videntes autem canoniam hanc exstructis noviter aedificiis decenter exornatam, ab ipsis quoque fratribus in pace habitatam gavisus sumus non modice advertimusque benignissimum illum omnis boni largitorem suam liberali manu benedictionem huic domui contulisse, ex quo religiosi eiusdem incolae magistris suis aures suas inclinaverunt et audierunt voces docentium se, voces docentium disciplinam sanctam, exhortantium ad regularem observantiam, quam diligentius custodiendo et secundum vocationis suae debitum exactius quam olim vivendo dulci illo communis pacis et concordiae bono perfruuntur et liberaliorem in concedendis sibi ad temporalem hanc vitam sustentationemque necessariis Dei manum experiuntur . . .

Dum autem amplissimus dominus prior et commissarius fratribus et filiis suis exactioris disciplinae viam ex regula et ordinationibus religiosis demonstrabit, speramus fore, ut eam etsi hactenus forte insuetam non gravate omnes ambulent, illius, cui hucusque se obsequentes praebuisse cognovimus, ductum imposterum etiam sequentur . . .

Cum multa in praecedenti visitatione exactius in divino officio aliisque ad praescriptum constitutionum nostrarum observanda ordinata sint eaque propter praesentem personarum, de quibus etiam quidam saepius in spirituale proximorum auxilium et solatium veri apostolicae vitae in hoc sectatores monasterio exire debent, paucitatem observari commode non possint, necessarium erit, ut numerus religiosorum cum tempore augeatur, quo aucto ut omnia ex praecedentis visitationis, cuius ordinationes in usum non deductae hisce renovantur et huic chartae insertae censeantur, praescripto fiant, monemus. Cum in nostra potestate non sit clausuram sacris canonibus praeceptam, constitutionibus quoque nostris et capituli generalis novissime emanato decreto severe mandatam in aliquo relaxare, ipsa observanda erit, nisi

¹⁾ *Der Prior Lagemann war auf dem Generalkapitel in Köln am 26. Juli 1693 Kommissar der oberdeutschen Provinz geworden (v. C o o t h).*

per altiore[m] potestatem dispensari contingat¹⁾, quem in finem ad ambitum ianuae, ubi desunt, parentur, ut ille claudi et sic iis, quibus per sexum aditus ad loca clausurae non licet, accessus ad eadem interdici possit. Janua, qua ex ambitu ad hortum itur, vesperi post completorium aut coenam claudatur, quod ut fieri possit, sera eidem apponatur.

Domino priori resignato paretur conclave honestum in inferiore ambitu, ut intra eiusdem septa morari queat; in loco autem praesenti mansionis eius aptari poterit infirmaria, quae ita disponatur, ut praeter unum alterumve conclave, in quo infirmi decumbant, aliud quoque, in quo altare erigatur, ad quod vel ipsi infirmi vel alii in infirmorum spirituale solatium celebrare valeant.

Quae de praelegendo in capitulis culparum commentario Hugonis Victorini in regulam, item de evitanda proprietate et silentio post horam colloquii sumpto prandio servando in generali capitulo decreta sunt, iussit reverendissimus p. generalis iterum in visitationibus demandari et in usum deduci.

Cum processio in festo sanctissimae Trinitatis per loca extra monasterium haberi solita inconvenientia plura causarit, imo et pericula quaedam parere possit, eam in posterum vel omnino omitti vel per canoniae ambitum solum fieri volumus.

Concludentes autem hanc visitationem omnes adhortamur, ut corda eorum praecepta patrum nostrorum custodiant. Haec enim apponent illis pacem, apponent gloriam. Hortamur, ne disciplinam Domini, cui iam humeros subdere incoeperunt, unquam abiciant, sed in ea succrescant amplius . . .

In fidem hisce subscripsimus manibus nostris iisdemque officiorum nostrorum sigilla adimpressimus in praefata canonica Vrenswegiana anno 1700. die 27. Junii.

(Siegel.) F. Franciscus Busch, praepositus Richenb.
m. propria.

(Siegel.) F. Joannes Schuncken, prior Clus.,
C. W. secretarius.

¹⁾ *Wegen dieser Frage nahm der Prior Lagemann in der Tat noch in demselben Jahre mit dem General Zilles in Neuß Rücksprache, „qualiter eo, quod hic habitemus medios inter reformatos, et si casu, quo nos illorum accessum intra clausuram huius domus omnino velimus prohibere aut impedire iuxta id, quod in capitulo generali 1699. Coloniae servato mandatum est, certe eorum offensam incurrere necesse sit adeo, ut et facile nobis pro necessitate ad reformatorum domicilia accedentibus illa in odium et vindictam oclusuri sint. Hinc eapropter moderationem a reverendissimo petii, qui et annuit discretionem nobiscum habendam neque clausuram hic ita stricte observari posse resolvit.“ (Eigenhändige Aufzeichnung des Priors in demselben Bande, der auch die Protokolle enthält.)*

1706.

In nomine sanctissimae Trinitatis amen. Nos frater Henricus Kruckeldorff, canonicorum regularium ordinis Lateranensis, congregationis Windesemensis in superiori Germania commissarius, canoniae ss. salvatoris in Ewig¹⁾ prior, et frater Paulus Dahmen, dictae congregationis Windesemensis secretarius et canonicorum regularium ss. corporis Christi intra Coloniam prior, de mandato reverendissimi patris generalis colligationis nostrae canoniam b. Mariae virginis in Vrenswegen in comitatu Bentensi (!) sitam visitantes invenimus sub amplissimi domini prioris, domini Anthonii Theodori Hagen²⁾, regimine sacerdotes quinque ad religiosae vocationis suae formam Deo famulantes, clericos tres, fratres conversos duos, praeter quos octo alii sacerdotes foris variis curis et s. functionibus occupati morabantur. Cum autem benefatus d. prior ob defectum virium, quas breviores ipsi Deus concessit, quam tot diutius onera officii sui sustinere valeat neque ille velit, ut per notoriam suam debilitatem inclytae huius domus utilitas aliqua ex parte negligatur, nos humillime obsecravit, quatenus resignationem illius ab officio priorali acceptare dignaremur, nos super praemissis praehabito diligenti scrutinio certiorati ad reiteratas instantias a dicto domino priore apud reverendissimum p. generalem nec non apud nos commissarios visitatores in et extra capitulum factas petitioni ipsius annuentes ac resignationem acceptantes licentia speciali a reverendissimo p. generali desuper obtenta saepefatum d. priorem auctoritate capituli nostri generalis anno millesimo septingentesimo sexto die quinta Augusti fratribus ab eiusdem oboedientia deobligatis absolvimus, eidem ad supplicam nobis porrectam praeter privilegia et iura resignato priori competentia, ut viatico a canoniam sua provisu Coloniae in domo sanctissimi corporis Christi de consensu prioris Coloniensis vel in palatinatu sive alibi, etiam in perpetuum, si illi ita visum fuerit, commorari peculiumque annum ad beneplacitum suum recipere et in honestos usus exponere valeat, ex causis iustis et rationabilibus concessimus et hisce concedimus . . .

Vacante ergo nunc per liberam, ut praefertur, resignationem prioratu canoniam b. Mariae virginis in Vrenswegen . . . anno 1706. die 12. Augusti per canonicam electionem unis fere om-

¹⁾ *Ewich bei Attendorn.*

²⁾ *1704—1706.*

nium dominorum electorum votis institutus est in priorem ac huius canoniae praelatum reverendissimus et amplissimus dominus Jodocus Hermannus Damm¹⁾, zelosissimus huius canoniae ad plures annos procurator, homo ac vir a vitae ac morum honestate, longa experientia in exstruendis novis aedificiis pro decore domus Dei ac totius congregationis nostrae, singulari prudentia et dexteritate aliisque laudabilibus virtutum meritis, uti non tantum ex scrutinio, sed et oculari inspectione registorum et aedificiorum ab ipso exstructorum sufficienter collegimus, plurimum commendandus. Benefatus autem d. Jodocus Hermannus Damm, canonicè ac legitime electus prior, dum publice in capitulo dignitatem hanc prioralem sive praelaturam modis omnibus ex humilitatis virtute acceptare recusaret, nos de ipsius vita ac laudabili conversatione et capacitate regiminis sufficienter informati inattentis ipsius reiteratis precibus eundem utpote capacissimum confirmandum esse duximus et autoritate suprema nobis commissa debite iuxta tenorem statutorum nostrorum confirmavimus et hisce confirmamus. Hunc affectu religioso et vero fraterno commonemus, ut . . .

Fratres in Christo nobis charissimos serio exhortamur, . . .

Ordinationes cum charta bis in anno legendae.

Aeterna et immota lex divina . . .

1. Itaque in Domino praecipimus, ut omnes et singuli professi abnegata voluntate propria ducantur spiritu oboedientiae, in omnibus honestis et licitis superiori et praelato tamquam Deo pareant, sint Abrahami fideles et obsequentes, non Jonae praecepta exequi declinantes, cum Deo gratior sit oboediens quam holocaustum et victimam sacrificans²⁾.

2. Nullus cum Juda oculos habeat contra emissum sollemne paupertatis votum nisi cum scitu et consensu superioris.

3. Fratres iuniores ad cantum melius addiscendum adstringantur.

4. Exercitia spiritalia per octiduum inhaerendo firmiter decretis novissimi capituli generalis singulis annis a fratribus servari districte mandamus.

¹⁾ 1706—1720.

²⁾ cf. 1. Reg. 15, 22.

5. Quoad divinum officium, ut magis magisque laudetur Deus, excitetur populus, evitentur scandala, cumulentur merita et mensura votorum impleatur, amplissimo domino priori decorem domus Dei, quam hactenus singulariter dilexit, ceterisque dominis confratribus serio commendamus, quae vero ad maiorem spectant eiusdem cultus decentiam, videlicet matura gravitas, canendi et legendi concinuitas cum pausa et respiratione debitis, in gestibus modestia, mores ad honestatem compositi, exterior devotio et frontis animique alacritas (cum hilarem datorem diligit Deus) in nullo fratrum desiderentur.

6. Ut fratres, dum numerus eorum auctus fuerit, finito prandio iunioribus praecedentibus praemisso versu^o et psalmo competenti chorum ingrediantur ac ea, quae de refectorio cap. 8. §. 6. ac de horis regularibus cap. 3. §. 22. ordinata sunt, nisi per d. priorem aut praesidentem dispensatum fuerit, imposterum serventur, hisce iniungimus.

7. Cum nos ipsimet experti sumus populum catholicorum ad divina hac in s. aede audienda esse frequentem sitque messis plurima, operarii autem pauci, plures ad religionem necessario admittendos esse iudicamus, amplissimo domino priori praecipientes, ut conformiter chartae praecedentis visitationis et huic nostrae ordinationi capaciora subiecta ad ordinem admittat, quibus in sufficienti numero admissis et in choro praesentibus tertia, vesperae et completorium decantentur.

Iuniores quoque fratres ob defectum sacerdotum ad ordines sacros et sacerdotium promoveri faciat, aut fundatas rationes et causas a reverendissimo domino commissario huius provinciae approbandas alleget, cur id fieri non expediat.

Saeculares ad dormitorium fratrum nocturno tempore sine speciali reverendissimi d. prioris aut supprioris licentia et consensu nullatenus admittantur.

Fratrem Henricum Rave in librarium constituimus. Librarii officium est omnes libros propriis nominibus singillatim annotatos habere et per singulos annos bis aut ter aut saepius exponere et recensere, ne in eis vel tinea vel alia qualibet corruptela infectum quid seu exesum sit, diligenter considerare.

Ad uniformitatem in sancto et apostolico ordine nostro servandam et pro maiore decore huius splendidae et fere omnium antiquissimae sacrae domus hisce amplissimo domino priori, quem hactenus decorem domus Dei singulariter dilexisse conspeximus,

r. domino suppriori ceterisque dd. confratribus hisce iniungimus, ut conformiter statutis nostris habitum choralem cap. 7. de vestiario §. 7. descriptum cum tempore assumere non negligant sub poenis a reverendissimo p. generali et huius superioris Germaniae commissario infligendis. Noviter admittendi eundem conferant.

Reverendissimo et amplissimo domino priori facultatem concedimus, quatenus absque ulteriori requisitione nostra tres ad investitionem et professionem, servatis tamen alias de iure et ordinis praescripto servandis pro beneplacito suo admittere valeat nec non procuraturam ad tempus, donec aliter ordinatum fuerit, pro maiore bono domus ad libitum administrare.

Concludentes hanc visitationem amplissimum dominum priorem iterum iterumque monemus . . .

In fidem et maius robur hisce manibus nostris subscripsimus iisdemque officiorum nostrorum sigilla adimpressimus in praefata canonia b. Mariae virginis in Vrenswegen anno 1706. die 13. Augusti.

(Siegel.) Fr. Henricus Krückeldorff, commissarius generalis et prior in Ewig, m. pp.

(Siegel.) Fr. Paulus Dahmen, congregationis Windesemensis secretarius et prior sanctissimi corporis Christi, m. pp.

17.

1715.

In nomine sanctissimae Trinitatis amen. Nos Bernardus Goeken, canonicorum regularium s. p. Augustini congregationis Windesemensis per superiorem Germaniam commissarius, Wilhelmus Schmidt, canonicarum s. Georgii martyris in Grauhoff¹⁾ et beatissimae virginis Mariae in Richenberg respective praepositi, visitantes dictae colligationis nostrae canoniam beatissimae virginis Mariae in Vrenswegen invenimus in ea praeter reverendum d. praelatum sacerdotes octo et clericos professos duos, septem etiam sacerdotes, qui extra domum in functionibus pastoralibus morabantur. Invenimus etiam cum singulari nostra satisfactione et gaudio reverendum d. praelatum ac congregationem fratrum in optima pace, concordia singulari et religiosae disciplinae observantia Deo sine omni querela famulari et cor patris ad filios et

¹⁾ Bei Goslar.

filiorum corda ad patrem plene conversa, quare solummodo officio nostro satisficientes reverendum d. praelatum fraterne commone volumus, cum in securitate nunquam sit salus nostra, ut de zelo et sollicitudine, quibus hanc sibi commissam domum per plurimos annos tam in spiritualibus quam temporalibus, uti cuique videre licet, laudabiliter et fructuose moderatus est, quantum vires et aetas permittunt, nihil remittere velit

Ordinationes bis in anno legendae.

1. Quae in priori visitatione circa officium divinum rite et debite peragendum, plurium personarum receptionem ac habitus choralis procuracionem salubriter et zelose ordinata sunt, repetimus et observanda recommendamus.

2. Cum haustus pomeridianus in quibusdam domibus colligationis nostrae ob graves excessus quorundam fratrum et neglectum divini officii in capitulo generali inhibitus sit, moderne autem huius domus confratres firmiter appromiserint omnem excessum et vesperarum neglectum praecavere velle, sic illis cum benevolo consensu reverendissimi d. praelati quadrante ante primum signum ad vespervas aliquot amphoras cerevisiae secundum numerum fratrum praesentium in silentio bibendas concedimus, eosdem autem serio admonentes, ut dato praedicto primo signo ad vespervas sine omni cunctatione se ad cameras suas recipiant et ibidem quieti, sacrae lectioni et meditationi aut aliis piis functionibus usque ad tempus vesperarum insistant. Contravenientes autem eodem haustu priventur et severius iuxta constitutiones puniantur.

3. Cum reverendissimus d. praelatus commodissimum conclave pro infirmantibus determinaverit, eodem fratres in casu necessitatis uti poterunt, simulque recommendamus dicto reverendissimo d. praelato, ut bis de anno, verno nimirum et autumnali tempore medicum in solatium fratrum et sanitatis eorundem conservationem advocari faciat, quibus fratrum petitis etiam d. praelatus benigne annuit.

4. Praecipue autem omnes et singulos d. confratres paterne admonemus, ut quotidianis suis sacrificiis et precibus divinam clementiam exorent pro plenaria reconvalescentia et virium restitutione ac diuturniore vita reverendissimi sui praelati, qui non tantum hanc domum ad tredecim mille floren. debitis liberavit, aedificiorum plurimorum splendore eam exornavit, annuos proventus notabiliter auxit, sed et religiosae suae familiae ex lau-

demialibus suis tam in quadragesima quam adventu non tantum hisce, sed et futuris temporibus de haustu vini tam benevole et large providit ac vos omnes ad exactum regularis disciplinae normam et observantiam sollicite et zelose perduxit.

Finaliter etiam recommendamus omnium devotioni s. ecclesiam catholicam, sacrum Romanum imperium, illustrissimos huius patriae comites et nos pariter ac iter nostrum. In quorum fidem et maius robur hasce manibus nostris subscripsimus iisdemque officiorum nostrorum sigilla adimpressimus in praefata canonia reverendissimae virginis Mariae in Vrenswegen anno 1715. die 20 s. Junii.

(*Siegel.*) Bernardus Goeken, canonicorum regularium congregationis Windesimensis per superiorem Germaniam commissarius et canoniae s. Georgii mart. in Grauhoff praepositus m. pp.

(*Siegel.*) Wilhelmus Schmidt, praepositus in Richenberg m. p.

18.

1726.

In nomine sanctissimae trinitatis amen. Nos Augustinus Schepers, canonicorum regularium ordinis s. Augustini congregationis Windesemensis per utramque Germaniam commissarius generalis, ad s. Joannem Baptistam in Aquisgrano prior, et Gaudentius Mollerus, eiusdem congregationis secretarius, prior sanctissimi Salvatoris in Ewigh, visitantes auctoritate ordinaria canoniam nostram beatissimae virginis Mariae in Frenswegen dioecesis Monasteriensis, sitam in comitatu Benthemensi reperimus ibidem praeter reverendissimum dominum priorem¹⁾ sacerdotes sex (quinque absentes erant in officio rectoratus vel pastoratus expositi), quatuor fratres clericos, unum novitium, in exiguo numero amplum chorum servantes, Dei laudes concinue et unisone persolventes, in concordia item et fraterna charitate, quae vinculum est perfectae unionis, in unum cohabitantes, de quo in Domino congavisi praefatum reverendissimum imprimis adhortati sumus, ut . . .

Ordinationes bis in anno praelegendae.

Quoniam in scrutinio pauca reformanda detexerimus, non est, quod de multis ordinandis vel immutandis solliciti simus.

¹⁾ *Heinrich Hermann Wernekinck 1720—1744.*

In officio divino, quod laudabiliter satis persolvitur, id desideramus, ut horae minores iuxta praescriptum statutorum parte 3., cap. 3., §. 22. sive cantando sive legendo distribuantur.

Pro habitu choralis, qui ab olim in visitationibus praecedentibus recommendatus est et tamen huc usque non assumptus, remittimus ad proximum capitulum generale, an ob circumiacentem undique viciniam acatholicam ulterius connivere velit.

Ad dormitorium fratrum mandamus, ut aptentur sive cancelli sive ianuae, quatenus omni tempore ad horam octavam vespertinam per patrem supriorem occludi possit et claves penes ipsum reservari.

Si quae alia sint, quae emendatione vel reformatione indigent, prudentiae ac discretioni reverendissimi domini prioris ad normam regulae et constitutionum nostrarum reformanda relinquimus. Sicque finientes praesentem visitationem nostram . . .

In fidem . . . Anno millesimo septingentesimo vigesimo sexto vigesima Septembris.

G. Mollerus pr. qui supra.
(Siegel.)

Aug. Schepers comm. gen.
(Siegel.) qui supra

19.

1732.

Nos Augustinus Schepers, canonicorum regularium ordinis s. p. Augustini congregationis Windesemensis per utramque Germaniam praepositus generalis et in Aquisgrano ad s. Joannem Baptistam prior, s. t. l., assumpto collega amplissimo domino Philippo Masen, monasterii superioris in Novesio priore, secundo iam auctoritate nostra ordinaria visitantes eiusdem colligationis nostrae canoniam B. M. V. in Frenswegen dioecesis Monasteriensis invenimus ibidem sub dignissimo capite sacerdotes septem (quatuor absentes erant in officio rectoratus seu pastoratus), quatuor clericos studio theologico applicatos ac Deo fideliter famulantes, in fraterna pace perseverantes, ut merito cum apostolo dicamus . . .

Dictum¹⁾ in canonia nostra Frenswegiana suprafata anno 1732. die 25. Maii.

I. P. Masen pr. m. pp.

A. Schepers generalis qui supra.
(Siegel.)
(Siegel.)

¹⁾ Das Protokoll ist in der Tat eine bloße Predigt. Besondere Bestimmungen fehlen.

20.

1737.

Nos Gaudentius Mollerus, canonicorum regularium s. Augustini congregationis Windesemensis secretarius, Joannes Matthias Matthaei dicti ordinis et congregationis, canonicarum sanctissimi Salvatoris in Ewig et ss. corporis Christi intra Coloniam respective priores, ex speciali deputatione reverendissimi in Christo patris ac domini generalis praepositi etc. visitantes dictae colligationis nostrae canoniam sub titulo beatissimae virginis Mariae in Frentzwegen comitatus Benthemensis, dioecesis Monasteriensis reperimus ibidem praeter amplissimum d. priorem praesentes sacerdotes septem, clericos duos sub lectore ordinis et domus studio theologico vacantes, praeter quos tum in pastornatu, tum sanctimonialium rectoratibus expositi sacerdotes quatuor extra morabantur. Quamvis nunc invenerimus hanc nobis in Domino dilectam communitatem in decantandis recitandisque divinis laudibus et horis canonicis, quantum desiderari possit, vocum consonantia et gravitate sedulam, fraternae etiam concordiae et pacis vinculo religiose colligatam, ipsum etiam amplissimum d. priorem disciplinae regularis zelatorem et nedum in spiritualibus, sed et in temporalibus plurimum proficientem et huic canoniae prospicientem, eundem tamen fraterne cohortati sumus, ut . .

Cumque durante hac praesenti visitatione defectus vel excessus notabiles non detexerimus, horum etiam aliunde ad nos nihil pervenerit, sed omnia in illo statu, prout in antecedenti per ipsummet reverendissimum dominum praepositum generalem personaliter hic instituta visitatione inventa sunt, manserint et etiamnum sint, ab ulterioribus ordinationibus, prout et in praecedenti visitatione factum est, supersedendum duximus . . . in suprafata canonia Frentzwegiana hac 12. Augusti 1737.

(Siegel.) Gaudentius Mollerus, pr. qui supra.

(Siegel.) Joannes Matthias Matthaei, prior qui supra.

21.

Auch das nächste Protokoll über die am 9. September 1742 von denselben Visitatoren abgehaltene Visitation enthält keine besonderen Anordnungen. Außer dem Prior Heinrich Hermann Wernekinck waren 6 Priester, 2 Kleriker und 2 Novizen vorhanden; 2 Priester waren als Pastor und als Rektor außerhalb beschäftigt.

1773.

In nomine sanctissimae Trinitatis amen. Nos Benedictus Holtgreven, ordinis canonicorum regularium sancti Augustini congregationis Laterano-Windeshemensis canoniae Daelhemensis praelatus, Antonius Schäffers dicti ordinis, eiusdem congregationis canoniae ad sanctum Joannem evangelistam in et extra muros Halberstadiensis praelatus, anni millesimi septingentesimi septuagesimi tertii vigesima octava Maii auctoritate plenaria reverendissimi ac illustrissimi domini, domini Joannis Adolphi Schmallen, canonicorum regularium sancti Augustini congregationis Windeshemensis per utramque Germaniam generalis, visitantes canoniam B. M. V. in Frenswegen dioecesis Monasteriensis capitulo nostro Windeshemensi colligatam in primo adventu nostro doluimus vehementer, quod reverendissimum d. Josephum Frenck¹⁾, dictae canoniae praelatum priorem, domi non invenimus, maiori moerore intelligentes, quod ad quinque modo menses abfuerit tacendo de absentia prioris anni. Accedebat praeter spem nostram, quod ad citationem et respective mandatum nostrum, quod erat formalis oboedientiae, coram nobis comparere contumaciter ac refractarie contempserit, quare penitus coacti dictum reverendissimum dominum Frenck a dignitate et officio prioratus etiam ex aliis causis sat arduis²⁾ decima quinta Junii a. c. absolvere, pariter novae electioni vigesimam primam Junii eiusdem anni tamquam terminum praefigere debuimus.

Ceterum invenimus praeter quatuor expositos monialium rectores et unum parochum commorantem in Nienhauss decem sacerdotes et fratrem clericum unum, omnes Deo ter optimo maximo in laudabili observantia per quotidianam eamque satis exactam officii canonici ac ceterarum functionum persolutionem famulantes. Bene meminimus, quod haec canoniam sive nemus B. V. olim fuerit schola plantationis, cum exinde ad plures quam ad decem canonicas selecti fuerint superiores³⁾ ob spectabilem reli-

¹⁾ 1767—1773.

²⁾ Frenck war mit seinem Konvent zerfallen, weil dieser auf Seiten Schmeddings (s. u.) stand. Gegen die Absetzung appellierte Frenck nach Rom und beschwerte sich in seinen Rechtfertigungsschreiben über seine „freidenkenden“ und „rebellierenden“ Untertanen, die er vergebens in Ordnung zu halten gesucht habe, in kräftigen Worten. 1774 mußte sich sein Nachfolger Kerksenbrock mit ihm vergleichen. Frenck trat mit päpstlicher Genehmigung aus dem Orden aus und starb als Weltgeistlicher in Düsseldorf am 16. November 1790 (v. C o o t h).

³⁾ Vgl. oben S. 98.

giosarum virtutum praestantiam. Nec mirum, cum chronologus Windeshemensis¹⁾ asserat de canonia Frenswegiana: *Ecce, nemus istud prope Nordthorn alit clericos in vita regulari excellentes, in vera humilitate, simplici oboedientia, integra charitate, virtutum religiosarum exercitiis. Constat praeterea, quod religiosi huius canonici nemoris incolae immensum olim protulerint fructum apostolicum in Frisia, Westphalia, Saxonia et longius dissitis Rheni partibus, imo totus Westphalicus orbis bono religiosae conversationis odore ab eiusmodi perfectis viris recreatus fuerit.*

Plurimum reverendi domini domini confratres in Christo charissimi, aemulemini, quaesumus, charismata si non meliora, eadem saltem . . .

Ordinationes in anno bis legendae et
observandae.

1. Reverendos dominos confratres tam sedulos in vinea Domini laboratores vidimus, ut ex eo non modicum spiritualem fructum sperantes multum aedificati et in Domino gavisum sumus. Meminerint tamen semper dilectissimi domini confratres eos ob laborem hunc apostolicum a iurisdictione et disciplina congregationis Windesemensis, capituli nostri aut praepositi generalis et immediati sui superioris minime exemptos esse.

2. Ut modernus neoprofessus eo maturius ad studia applicetur, congruum iudicamus, ut adhuc duo bonae spei adolescentes admittantur, qui simul ita erudiantur, ut suo tempore et ordini et proximorum saluti promovendae servire valeant monemusque reverendissimum dominum neeligendum praelatum, quatenus opportune constituat lectorem, qui iuniores clericos sana doctrina imbuat eosque in viros apostolicos efformet, quem ut eo magis ad studendum animet, ipsi iocale annuum, prout domus circumstantiae permiserint, et, ut commodius studiis incumbat, si bene fieri possit, etiam fornacem in camera concedere dignetur. Procuratorem quoque canonicae denominare non differat.

3. Disciplinae regulari conforme est, ut saltem bis in hebdomada, scilicet feria quarta et sabbatho, diebus festis exceptis, lectio mensalis distinctius et paulo tardius per totum prandium continuetur. Hinc lectori mensae his diebus conceditur, ut ceteris prior choro exeat et ante prandium commune ipse prandium sumat.

¹⁾ Ich kenne diese Geschichte der Kongregation nicht. Quelle für die Stelle ist offenbar Busch S. 179 ff.

4. Mulieres penitus excludantur, ne accessum habeant intra septa monasterii. Ideoque fores ita disponendae et occludendae forent, ne illis ad ambitum vel dormitorium aditus pateat, quod curae reverendissimi domini praelati committimus, uti et reverendis dominis confratribus iniungimus, ut exceptis diebus colloqui post septimam vespertinam vadant ad cameras suas, de hieme autem in calefactorio se cohibeant in silentio legentes et studentes. In hunc finem pl. r. d. supprior sedulo invigilabit.

5. Cum stupore percepimus a plerisque dominis confratribus non servari recollectionem spiritualem annuam tantopere in definitis capituli generalis commendatam. Praecipimus itaque, ut quilibet maiore spiritus fervore recollectionem istam habeat et diem, quo eam inchoari cupit, reverendissimo domino praelato praevie indicet.

6. Reverendum dominum Schmedding quod attinet, inter prima studia nostra visum fuit ipsum Monasterio revocare ad canoniam nativam diiudicantes melius fore, si in ea exspectet finem causae suae, quam si cum scandalo et ludibrio extraneorum tam diu degat Monasterii. Si vero in curia Romana succumbat, ipsum discretionis superiorum commendamus. Interim eo, quo coepit, pede in via Domini incedere et ceteros exemplo aedificare pergat¹⁾.

7. Sollemnitates in investitione, professione et primitiis confratrum deinceps non adeo sumptuose celebrentur et pro singulis non ultra biduum extendantur.

8. Quoniam uniformitas habitus choralis statum canonicum decet, reverendissimum dominum eligendum praelatum adhortamur, ut, quamprimum fieri potest, iuxta praescriptum statutorum parte h. c. 7. §. 7 a pascha, id est finitis nonis sabathi sancti usque ad secundas vespertas omnium sanctorum inclusive confratres suos superpelliceis seu rüggelen et almutiis et bireto clericali, de hieme autem nigro pallio indutos horis canonicis et divino officio interesse faciat.

9. Cum clerus regularis hisce praesertim temporibus amicis et patronis indigeat, reverendissimum dominum futurum prae-

¹⁾ Schmedding wurde 1770 wegen „zu häutigen und zu vertraulichen und daher Aufsehen machenden Verkehrs mit einem Frauenzimmer, seinem Beichtkinde, obwohl er an sich unschuldig sein konnte und auch wohl ohne böse Absicht stattfand“, nach Sant versetzt. Da er sich dort nicht wohl fühlte, erlangte er die Erlaubnis, zu seinem Bruder, einem Landpfarrer, zu ziehen, ging aber statt dessen nach Münster zu seinem Schwager, dem Weinhändler Edeler, und betrieb hier seine Klagen gegen den Orden. 1774 wurde er von Frenswegen zurückgerufen und kam tatsächlich wieder (v. C o o t h).

latum monemus, ut in et extra canoniam religiosa ac suavi conversatione vicinos, praecipue excellentiores sibi reddat amicos ac adventantes hospites pro qualitate et distinctione personarum humane suscipiat et neminem studiose offendat.

10. Omnium originalium literarum, foundationum, donationum aliorumque documentorum copiae authenticae formentur et proxime in unum volumen redigantur.

11. Ad conservanda iura canonicae in conventionem statuum comitatus Bentheimensis vel reverendissimus dominus praelatus ipse in persona compareat vel, si legitime impeditus fuerit, in sui locum substituat plurimum reverendum dominum superiorem vel alium satis habilem dominum confratrem.

12. Quamvis gravibus ex causis coacti simus amplissimum dominum Jacobum Josephum Frenck ab officio et dignitate prioratus absolvere, indulgemus tamen ipsi, ut deinceps utatur titulo exprioris, sit liber a choro aut, si chorum frequentare voluerit, sedeat e regione reverendissimi domini praelati et in mensa ad dexteram eiusdem. In instante tamen electione praelati carebit voce activa et passiva. Si vero alias electiones ipsum supervivere contingeret, in illis utramque vocem, quantum in nobis est, ipsi concedimus. De cetero locum mansionis ipsi resignabit illustrissimus dominus generalis, et si forte ipsi aliquod iocale annuum concedendum foret, pariter determinabit illustrissimus dominus generalis eo, quod de hereditate ipsius paternali nihil certi in manibus habeamus et testamentum ipsum amplissimus dominus Frenck secum sumpserit in Bockholt.

Cetera, si quae ordinanda sint et corrigenda, reverendissimi domini praelati, visitoris quotidiani prudenti zelo committimus hortantes, ut omnia ad regulae et constitutionum nostrarum praescriptum dirigantur... in praefata canonica B. M. V. in Frenswegen 19. Junii 1773.

(Siegel.)

Bened. Holtgreven, qui supra.

(Siegel.)

Anton. Schäffers, qui supra.

17. *Quoniam in hoc mundo non est terra sine peccato...*

18. *Et in diebus illis...*

19. *Et in diebus illis...*

20. *Et in diebus illis...*

21. *Et in diebus illis...*

22. *Et in diebus illis...*

23. *Et in diebus illis...*

24. *Et in diebus illis...*

25. *Et in diebus illis...*